LIBRARY OF THE
Massachusetts
Bible Society

Catalog No. A·810·1/G 1750
Family INDO EUROPEAN
Sub-Family TEUTONIC
Branch EAST
Group —
Language GOTHIC
Dialect
Locality
Contents Gospels
Version Codex Argenteus
~~Translator~~ Editors { Ericus Benzelius / Edward Lye
Published by Oxford Univ. Press
Place London
Date 1750
Accession No. 1154
Accession Date Jan. 15, 1834
Price $6.83

Decipherer of 'Silver Bible' Speaks at Harvard

Dr. Svedburg of Sweden, one of the distinguished tercentenary guests, to report on developments in measuring size of very large proteins.

Among distinguished guests at Harvard today is Dr. The(odor) Svedberg, Professor of Chemistry at the University of Upsala, Sweden, who is to officially report on his latest developments in measuring the size of very large proteins. He is best known, however, for his deciphering of the Codex Argenteus, the "Silver Bible" of Upsala.

This remarkable manuscript made in the sixth century is among the most precious possessions of the University of Upsala. It records a translation of the Gospels into Gothic, originally made in the fourth century by Bishop Ulfilas.

Carried Over Europe

In the course of many upheavals, this manuscript was carried at one time or another, over most of Europe; and, in the early part of the seventeenth century, was held in the city of Prague. In 1648, at the end of the Thirty Years' War, it was carried away from Prague by a Swedish count and shortly thereafter passed into the library of Queen Christina of Sweden.

When in 1654 Christina renounced the throne and retired to live in Rome, the manuscript resumed its travels and for a time was taken to Holland. After a few years it returned to Sweden and in 1669 was given to the University of Upsala where it has remained ever since.

The Silver Bible was written for the most part in silver letters, from which it has obtained its name of Codex Argenteus. The codex leaves are a purple-dyed parchment. Some of the letters and decorations are also inscribed in gold.

Became Effaced

In the course of many centuries and many accidents, the lettering has grown more and more effaced, much of the silver and gold has been worn away. Some has penetrated from one side of the parchment sheet to the other, thereby blurring the outline of letters on both sides.

Although most of the manuscript had been deciphered earlier, The Svedberg used modern techniques of photography to reveal much that had hitherto been obscured. For this work he achieved international eminence, though he is in addition a brilliant physicist and engineer.

Among other prominent researches, he has in recent years developed a technique for measuring the sizes of gigantic protein molecules found in food materials. At one time it was commonly accepted that molecules would have to be classed with atoms and electrons as forever beyond the vision of research, even by way of the microscope.

Ultra-violet Light

It was Professor Svedberg's scientific background which enabled him to realize the possibility of photographing the pages of the Codex by methods which should reveal more than the human eye could see directly. He tried many photographic techniques, using infra-red, visible, and ultra-violet light, and also x-rays and radium emanations. Of all the methods he tried, the use of ultra-violet light from a powerful mercury vapor lamp proved most suitable.

Silver shows high reflecting power for such ultra-violet light, and even the greatly discolored letters of the manuscript still retain much of this power. In this way the photographs showed the silver writing as light on a dark background and made the photographic reproductions far clearer than visible light would do. In fact, where late translators had inscribed their opinion of what faded letters should be, ultra-violet light disregarded such changes and showed the true text beneath.

Letters Stand Out

Another method of using ultra-violet light was in such a way as to oblique illumination. In this method, the parchment shines with a bluish fluorescence and the writing appears dark with the letters standing out with extraordinary clarity.

In the case of the writing which penetrated from the reverse side of the leaf, this appeared as dark shadows on the photographs and could easily be distinguished from the text under examination. The photographs made by Professor Svedberg at the University of Upsala were published in a tremendous volume with a Latin introduction, one copy of which is owned by Harvard University. It can be inspected at any time in the Widener Library Treasure Room. The work has proved of the utmost value to scholars engaged in the study of early Bible manuscripts everywhere.

In addition to the Gospels and much of the other New Testament material kept by the University of Upsala, there are many individual pages which were torn from the book and are scattered throughout Europe at various libraries. For instance, there are several pages in German and Swiss institutions, and the Ambrosian Library at Milan retains much of II Timothy.

Prof. The. Svedberg
Nobel Prize Winner in 1926



Wide World; By a Staff Photographer; Courtesy of Harvard University

Page From the 'Silver Bible': 2 Tim. III, 9-14



Back of Book, Codex Argenteus Upsaliensis

Harvard Shows Articles of Gold Dug in Panama

Helmets, shields and dress ornaments of pure beaten gold, the work of Panama Indians of centuries ago, have been placed on exhibition at Harvard as a part of a Tercentenary display showing the work of the Division of Anthropology.

The gold pieces were collected by an expedition sent out by the Peabody Museum to excavate a site at Panama. The village was sit-

Haigis Faces Strenuous Schedule Of Speaking Engagements This Week

John W. Haigis, Republican candidate for governor, will spend little will start with a rally in the afternoon at the American Legion Farm in Haverhill, under the auspices of



SACRORUM EVANGELIORUM

VERSIO GOTHICA

EX

CODICE ARGENTEO Emendata atque Suppleta,

CUM

Interpretatione LATINA & ANNOTATIONIBUS

ERICI BENZELII

NON ITA PRIDEM

ARCHIEPISCOPI *UPSALENSIS.*

Edidit, OBSERVATIONES ſuas Adjecit,

Et GRAMMATICAM GOTHICAM Præmiſit

EDWARDUS LYE A.M.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,

MDCCL.

Imprimatur,

J. PURNELL,

VICE-CAN. *OXON.*

Febr. 19. 1749.

Nobiliſſimo Illuſtriſſimoque

Dno Dno

JOANNI

Comiti GRANVILLE,

Vice-Comiti CARTERET,

Baroni CARTERET de HAWNES,

Inſulæ JERSEIENSIS Ballivo Regio,

Domino de Sto OUEN,

Auguſtiſſimo Britanniarum Regi

A Sanctioribus Conſiliis,

Et

Nobiliſſimi Ordinis PERISCELIDIS Equiti,

EDWARDUS LYE

S. P. D.

QUUM *reverendiſſimi* BENZELII *obitu, eruditis omnibus merito deflendo, id mihi ſoli intellexiſſem negotii dari, ut haſce Evangeliorum Gothicorum reliquias ſumma fide & diligentia recognitas in lucem publicam proferrem, haud mihi integrum exiſtimavi, alibi quam apud Te,* COMES ILLUSTRISSIME, *patrocinium quærere; Te nimirum huic optimo Præſuli non fama tantummodo, verum etiam colloquio & conſuetudine cognitum. In* SUECIA *enim cum apud* SERENISSIMAM REGINAM ULRICAM *Legatus eſſes, tanto literarum amore flagrabas, ut inter ardua Legationis munia obeunda teneri non potueris, quin celeberrimam*

UPSA-

UPSALÆ *Academiam inviſeres. Ibi Tu,* VIR NOBILISSIME, OXONII *noſtri (an Tui dicam?) decus & deliciæ, doctiſſimorum ſocietatem colendo, eorum ſententias de omni tam philoſophiæ, quam politioris humanitatis genere ſciſcitando, Tuam invicem dicendo, effeciſti, ut maximam de Te conciperent opinionem* UPSALENSES; *quæ & apud eos tam firma ad hodiernum uſque diem permanſit, ut nihil iis charius ſit, nihil quo ſe magis jactent, quam honoratum & amabile nomen* CARTERETI. *Advenientem excepit Te* BENZELIUS, *Vir ea ſagacitate in dignoſcendis hominum ingeniis, ut eximias Hoſpitis dotes cito perſpexerit. Et hæc fuit cauſa, cur ſecum ſtatuiſſet, parvulum hoc, ſi molem ſpectes, amicitiæ monumentum Tibi offerre, & opus ſuum Tuo nomine cohoneſtare. Scilicet, Antiſtes venerandus adeo Te admiratus eſt, adeo eruditionem Tuam, Græcam præſertim ſuſpexit, ut eam, dum inter homines erat, ſuis paſſim prædicando animum explere nequiret.* *

Quare maxime dolendum eſt, tanto Viro per mortem non licuiſſe laudes Tuas feliciori calamo poſteris conſecrare. Quod ad me attinet, cum tali conatui longe impar ſum, haud mediocri ducam honori, ſi munuſculum hoc, mea qualicunque manu oblatum, benigne accipere non dedigneris. Vale, VIR ILLUSTRISSIME, *diuque vive, Literarum lumen & ornamentum.*

* Hæc patent *ex literis cl. Andr. Norrelii Bibliothecæ Upſalenſis Præfecti ad me datis Upſalæ d.* XXI *Junii* CIↃDCCXLVIII. *quæ ſic ſe habent,* Viro non tantum apud Vos eruditionis gloria conſpicuo, verum etiam per totum orbem Europæum celebratiſſimo, *John Lord Carteret* —— B. Archiepiſcopus *E. Benzelius,* qui ſummum illum virum, quum *Athenæum* noſtrum ſua præſentia cohoneſtaret, hoſpitio exceperat, multis, ut cætera ſilentio involvam, denarravit, quam ſolide linguam Græcam calluerit, quæ cognitio, ut probe ſcis, tam rara eſt in homine Politico, præſertim Aulico, quam quæ rariſſima. Sed hæc obiter, ut indicio duntaxat eſſet, quantum nomen & memoriam incomparabilis iſtius Viri deveneremur.

PRÆFATIO.

CAP. I.

§. 1. ADOLESCENTEM me cepit ſtudium verſandi codices manuſcriptos, & ad inſtructiores extra patriam admiſſus bibliothecas alio non magis calebam quàm non dum editos deſcribere, canitie venerandos cum impreſſis committere. Poſtquam autem anno hujus ſeculi tertio auguſtiſſimi regis CAROLI XII. providentia Bibliothecæ publicæ Upſalenſi me præfecerat, involabam in codices antiquos, ſpe inveniendi nonnulla, minimum literaturam Romanam juvatura. Hæc quia me fefellit colligebam varia hiſtoriam patriæ, medii ævi, illuſtrantia, quæ poſtmodum edidi in *Monumentis eccleſiæ Sueo-Gothicæ*, hinc conferre cœpi veterrimum codicem, vulgo dictum *Argenteum*, continentem fragmenta ſacrorum Evangeliorum Mœſo-Gothice, cum editione quam *Franciſcus Junius* dedit Dordrechti, anno 1665.

§. 2. Remorabantur aggredientem partim exigua linguæ Gothicæ cognitio, cujus tamen guſtum mihi dedit Londini ſummus vir *Georgius Hickeſius*, partim difficultas legendi membranas, quarum ſcriptura plurimis locis evanuerat; ſed juvenilis ardor, & veriorum lectionum varietas, quin & ſupplementorum copia ſtimulum addidere ne antea à labore deſiſterem quam integrum codicem abſolveram. Sic reſtituto Ulphila, quia plurima ſacrorum Evangeliſtarum loca mirifice illuſtrari videbam, Latine transferendi cupido ſubiit animum, quò pluribus prodeſſet Tranſlatio inter vetuſtiſſimas numeranda, *nec lucerna foret ſub modio poſita.* Quoto enim cuique ſatis eſt otii addiſcendæ linguæ Gothicæ? Latina autem, Iſlandica & Suecana verſiones, quæ illi à latere junguntur in editione Stockholmenſi, non Gothicam repræſentant, ſed vulgatas.

§. 3. In Annotationibus digito monſtravi præcipua loca, quibus ex cod. MS. editionem Junianam emendavimus, quin & ea, quibus Gothus vel accurata verſione

ſione vel interpunctione commoda facem prætulit: docui item quid meum ſit de explicatione quorundam locorum judicium.

CAP. II.

§. 1. HÆC præfari ſufficeret, ſed quia dubia quædam adhuc multorum animis inſident, utrum ex Græco fonte verſio hæc profluxerit, an ex verſione Latina: Gothica ſit, an vero Theotiſca: unde Gothis Græcæ linguæ notitia: & quæ ſunt reliqua, ea ſolvere conabor, minimum apud eos, qui præjudiciis non prorſus occupati & rationum pondera excipiunt.

§. 2. Primæ autem quæſtioni quia in Annotationibus ſatisfeciſſe mihi videor, hoc loco ſub uno adſpectu ſolum ponam quæ illic paſſim monui, id eſt contextum Græcum intra manus fuiſſe Interpreti noſtro. Sed etiam ex illis non niſi pauca proferam, ne actum agam, & ex uno *Lucæ Evangeliſta*. Ejus itaque cap. 2, 15. Καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες, noſter ϚΛh ψΛI MΛNS ψΛI hΛIKΔϚRS, *Latinus* autem: *Paſtores*. Hunc ſi fuiſſet ſequutus, haberemus tantum ψΛI hΛIKΔϚRS. nunc preſſe inſiſtendo veſtigiis Græcis, ϚΛh ψΛI MΛNS ψΛI hΛIKΔϚRS. *Et* (vel *quod*) *homines iſti paſtores.*

Cap. 7, 49. καὶ ἤρξαντο οἱ συνανακείμενοι. ϚΛh ΔNΓNNNNN ψΛI MIψΛNΛKNMBϚΛNΔΛNS. *Latinus* autem: *Et cœperunt qui ſimul accumbebant.* Juxta illum foret: ϚΛh ΔNΓNNNNN ψΛIЄI MIψΛNΛKNMBIΔЄΔNN. nunc verbum verbo reddit.

Cap. 9, 53. ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς ἱερουσαλήμ. NNTЄ ΛNΔVΛIKψI ÏS VΛS ΓΛΓΓΛNΔX Δn ÏΛIKNSΛΛЄM. *Latinus* autem: *quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem.* Sic foret: NNTЄ ΛNΔVΛIKψI ÏS VΛS ΓΛΓΓΛNΔIS Δn ÏΛIKNSΛΛЄM. nunc vero ΓΛΓΓΛNΔX, πορευόμενον.

Cap. 19. 37. ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν θεόν. Noſter religioſa imitatione ΔNΓNNNNN ΛΛΛΛI SX MΛNΛΓЄI SIПXNϚЄ ÞΛΓINXNΔΛNS hΛZϚΛN ΓNψ. Quod etſi non *Latine*, verbis tamen Latinis foret: *cœperunt omnis multitudo diſcipulorum læti laudare Deum.* Vulgatus autem propius genio linguæ: *cœperunt omnes turbæ diſcentium gaudentes laudare Deum.*

§. 3. His non contentus, poſſemus autem addere ſexcenta, dicat cur *Matthæi* 27, 52. καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων, verterit ϚΛh MΛNΛΓΛ ΛЄIKΛ ψIZЄ ΛIΓΛNΔΛNЄ ϒЄIhΛIZЄ *& multa corpora jacientium ſanctorum.* Quare *Marci* 8, 17. ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν; reddiderit NNTЄ ΔΛПBΛTΛ hΛBΛIψ hΛIKTX ÏZϒΛK *quia obduratum habetis cor veſtrum.*

Quam-

Quamobrem *Lucæ* 1, 10. ᾧ πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον ἔξω transtulerit ᚷᚨᚺ ᚨᛚᛚᚨᛊ ᚺᛁᚢᚺᛗᚨ ᚷᚨᛊ ᛗᚨᚢᚨᚱᚷᛖᛁᚢᛊ ᛒᛖᛁᛞᚨᚾᛞᚨᚾᛊ ᚢ-ᛏᚨ, *& omnis turba erat populi expectans foras.*

Qua de cauſſa, apud eundem Evangeliſtam cap. 7, 25. ἰδοὺ οἱ ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες vertatur ᛊᚨᛁ ᚹᛚᛁ ᛁᚾ ᚷᚨᛊᛏᚷᚱᛗ ᚷᚢᛚᚹᚨᚾᚨᛁᛗ ᚷᚨᚺ ᚦᚱᛞᛖᛁᚾᚨᛁ ᚷᛁᛊᚨᚾᛞᚨᚾᛊ, *Ecce, qui ſplendido amictu & victu utuntur.* Item cap. 18, 32. καὶ ὑβρισθήσεται transferatur ᚷᚨᚺ ᚨᚾᚨᛗᚨᚺᛏ-ᚷᚨᛞᚨ *Et defraudabitur.*

Tandem, quid cauſſæ noſtro fuerit, ut pro *Johannis* 16, 6. ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν dederit ᚱᚨᚾᚴᛁᚹᚨ ᚱᛚᛞᚨᚾᛒᛁᛞᚨ ᛁᛉᚷᚨᚱ ᚺᚨᛁᚱᛏᛟ, *triſtitia obduravit cor veſtrum.*

§. 4. Mihi rationes cur ſic interpretatus ſit, obviæ. Nimirum vel culpa codicis Græci, quo uſus eſt Gothus, vel non ſatis expendendo abbreviaturas, *Matth.* 27, 52. τ κεκοιμημένων legit τ κεμένων. *Marci* 8, 17. pro ἔτι legit ὅτι. *Lucæ* 1, 10. pro προσευχόμενον ἔξω legit προσδεχόμενον ἔξω. illud ſi inveniſſet, haberemus ᛒᛁᛞ-ᚷᚨᚾᛞᚨᚾᛊ ᚢᛏᚨ, Suecice: *bedjande ute.* Ibidem 7, 25. pro τρυφῇ legit τρο-φῇ. quin & cap. 18, 32. pro ᾧ ὑβρισθήσεται legit ᾧ ὑστερήσεται, ut & *Johannis* 16, 6. pro πεπλήρωκεν, πεπώρωκεν, ceu etiam in quibuſdam dudum monuit *Mareſchallus.* Neutro autem horum locorum ei præluxit verſio Latina, neque ex illa hujuſcemodi aberrationes manare potuerunt.

§. 5. Scio nonnullos contentioſiores urgere convenientiam quæ interdum eſt, verſionis Gothicæ cum Latina: verum hæc quoque gratis; nam multæ lectiones verſionis Vulgatæ genuinum repræſentant contextum Græcum. Cujus aſſertionis evidentiſſimum argumentum conſenſus codicum MSS. Græcorum, qui eccleſiæ Occidentalis nunquam fuerunt, qualis eſt Alexandrinus, & antiquarum verſionum Orientalium, cum verſione Vulgata, adeo ut etſi nunc Codices plures Græci hanc illamve lectionem non tueantur, veterrima tamen ſit & prorſus genuina.

CAP. III.

§. 1. QUÆSTIONEM, *Gothica ſit an vero Theotiſca Interpretatio* nos proxime tractaturos diximus, id vero, poſtquam *Georgio Hickeſio* & *Maturino Lacrozio* viris præſtantiſſimis reſponderunt *Laurentius Arnell* noſtras, & *David Wilkinſius*, commodiſſime futurum credo ſi excepero pondera argumentorum *Arnæ Magnæi* in epiſtola ad *Adolphum Fridericum Baſſewitzium*, regis Magnæ Britanniæ, ut Electoris Hannoverani, ad auguſtum regem noſtrum annis 1719, 1720. & ſequentibus Legati. Hoc faciam non voluptate contradicendi, nec ſtudio exagitandi *Magnæum*, quem magni faciebam, ſed amore veritatis. En epiſtolam, quam laudatus *Baſſewitzius* mecum communicabat: —— "Inter alias "collo-

"colloquii materias ſeſe obtulit IV Evangeliſtarum codex, qui *Argenteus* vulgo "appellatur, & in Upſalenſi bibliotheca nunc aſſervatur, quem *Franciſcus Ju-* "*nius*, vir eruditiſſimus, anno 1665, Dordrechti, ſub nomine *Novi Teſtamenti* "*Gothici* edidit, & ab *Ulphila* Gothorum epiſcopo, verſionem iſtam factam eſſe "credidit, quam illius, ut & *Jacobi Uſſerii*, maximi viri, opinionem plurimi ex- "inde, ſine ulteriori diſquiſitione ſecuti ſunt, creditur que vulgo Gothicam iſtam "tranſlationem ex Græco fonte profluxiſſe. Ego dixi, me de hiſce rebus non "parum dubitare, magiſque in eam propendere ſententiam: eſſe antiquiſſimam "hanc tranſlationem, non *Gothicam* ſed *Germanicam*, factamque ex Latino co- "dice, ac ita ſine fundamento *Ulphilæ* adſcribi. Protuli breviter argumenta, "quibus hanc meam ſententiam ſtabilire volui, quæ hac ſchedula nunc repetere "libet. Cæterum ubi ſæpe dictam verſionem non videri eſſe *Gothicam*, nuper "dixi, id intelligi volo ex eorum hypotheſi, qui Gothos ex ſola Scandinavia e- "rupiſſe, & linguam, qua veteres Sueciæ incolæ tum temporis loquebantur, ſe- "cum in peregrinas terras tranſtuliſſe ſtatuunt, unde & Sueci hodierni ſuum idio- "ma pro *Gothico* habent, ſed temporis longinquitate nonnihil mutato, & Iſlan- "dicam dialectum *veterem Gothicam* vulgo nuncupant. Neque enim hic inqui- "rendi locus eſt, an parentes Gothorum illorum, qui peragratis Græcorum & "Romanorum terris tandem in Hiſpania conſederant, Oſtro-Gothiæ tantum & "Weſtro-Gothiæ, Suecici regni provinciis, ortum ſuum debuerint. Nec magis "ad hanc rem pertinet, an bene vel ſecus illi egerint, qui libros Iſlandicos, in "Iſlandia conſcriptos, indeque in Sueciam tranſmiſſos, illic quaſi vetuſtos Gothi- "cos edidere, & *lingua antiqua Gothica ſcriptos eſſe*, in fronte eorum annotarunt. "Verum hæc ſaltem in anteceſſum dicenda erant, ut pateret, quid per *Gothicam* "*linguam* heic intelligendum veniat: illud nimirum idioma, quo Scandinaviæ "priſcos incolas uſos eſſe, partim ſcimus, partim probabiliter concludimus. His "præmiſſis rem ipſam aggrediar. Et primo ſatis conſtat, unâ eademque lingua "loqui Superioris ac Inferioris Germaniæ populos, Confœderatarum Provincia- "rum incolas, Holſatos, Danos, Suecos, Norvegos, Fœroenſes ac Iſlandos. Om- "nes hi, inquam, eadem lingua utuntur, ſed variis fluente dialectis. Qualiter "Germanorum loquelæ à ſe invicem abludant, non eſt ut heic diſquiramus, & "omnibus fere id notum eſt. Nec magis hîc demonſtrare juvat, in quo conſi- "ſtat differentia idiomatum, quæ Danis, Norvegis, Suecis, Iſlandis, nunc ſunt "in uſu. Hoc loco ſaltem conſideranda venit univerſalis illa diſcrepantia, quæ "eſt inter idioma Germanorum conjunctim ſumtorum, & loquelam omnium eo- "rum, qui propius ſeptentrionem habitant, Danorum nempe, Suecorum, Nor- "vegorum, Iſlandorum. Iſta diverſitas, quantum ego obſervavi, in his ſequen- "tibus præcipue conſiſtit. 1. Germani demonſtrativos (ut loquuntur gramma-

"tici)

"tici) articulos vocibus præponunt; Dani vero, Sueci, Norvegi, Iſlandi, eoſ-
"dem vocibus ſuffigunt. ex. gr. quod Germanis eſt: **der koenig, das Reich,**
"**das Land, die Macht, das Recht, die Gnade**, Dani, Sueci, Norvegi di-
"cunt: *Kongen, Riget, Landet, Magten, Retten, Naaden.*

"2. Germani nulla agnoſcunt verba Paſſiva, ſed à verbo Subſtantivo auxilium
"mutuo ſumunt. ex. gr. quod Latinis eſt, *Amor, Ligor:* Dani, Sueci, Norvegi
"efferunt: *Jag elskes, jag bindes*; Germani vero **Ich werde geliebt, ich**
"**werde gebunden.**

"3. Germani in Supinis vel Participiis Præteritis verborum, augmenta adſci-
"ſcunt. ex. gr. **Gegeben, Gethan, Geritten, Gegangen** &c. quod à Se-
"ptentrionalium populorum idiomate penitus abeſt.

"4. Germani variis vocibus, præcipue collectivis, ſyllabam **ge** præponunt.
"ex. gr. **das gebeine, das geſinde, das geſchmeiſſe** &c. cui nihil ſimile in
"Septentrionalium idiomate occurrit.

"5. Germani multis præponunt verbis voculam **be.** ex. gr. **befragen, be-**
"**nemen, benennen** &c. id quod Septentrionalibus, præcipue veteribus, ſu-
"perfluum videretur, & in eorum idiomate non invenitur.

"Plura certe ſunt, in quibus Germanorum & Septentrionalium magis popu-
"lorum dialecti ab invicem diſcrepant, ſed hæ, quas enumeravi varietates, mi-
"hi viſæ ſunt extantiores, & ad rem præſentem maxime facere. Nunc dicta ap-
"plicabimus & 1. quantum ad Articuli demonſtrativi ſitum attinet, ille ſemper
"in hoc codice nominibus Subſtantivis præponitur, non vero ſubnectitur. Vi-
"deatur Lucæ 9, 37. *af thamma fairgunja*, **von dem berge.** Lucæ 20, 15. *us*
"*thamma veinagarda*, **auſs dem weingartten.** Marci 5, 8, *us thamma mann*,
"**auſs dem manne.** Matth. 8, 24. *thata skip*, **das ſchiff.** quæ Dani & Sueci
"dicerent: *af bierget, af wingaarden, af manden, skibet.* & longe plura iſtiuſ-
"modi adduci poſſent.

"Ad 2. videatur Matth. 8, 24. ubi *gahulith vairthan* extat, quod Græce eſt
"καλύπτεσθαι. plura exempla huc adducere nunc non vacat.

"Ad 3. vocem *gahulith* repeto, quæ nunc ſecundum analogiam eſſet **gehehlet.**
"& innumera ſunt in hoc codice verba, quæ ſyllabam *Ga* (**Ge**) ab initio adſci-
"ſcunt. *GaHaban*, tenere: *gaHailjan*, ſanare: *gaHrainjan*, mundare: *gaLauſ-*
"*jan*, ſolvere: *gaLukan*, claudere: *gaSitan*, ſedere: *gaStandan*, manere: *ga-*
"*Tamjan*, domare: (*a*)*gaTiuhan*, nunciare, & ſexcenta alia, quæ nemo Septen-
"trionalium pro ſuo dialecto agnoſcere poteſt.

(*a*) *GaTiuhan*, Lege *gaTeihan*, id enim *nuntiare*, ſed *gaTiuhan*, ducere.

"Ad 4. refero vocem *Gaskoh*, calceamenta, quæ extat Lucæ 15, 22. quaſi eſ-
"ſet Geſchuc: item (*a*) *Gahugd*, mens, animus, Marci 12, 30. cujus vocis ety-
"mon, quantum nunc occurrit, Germanis periit; Iſlandis vero Hugr adhuc A-
"nimus eſt, Sueci *Hug* efferunt, Dani paullo corruptius *Hu*. Ceterum tam Da-
"nis quam Suecis *at hugſa*, recordari dicitur. Augmentum vero illud initiale *ga*
"nemo Septentrionalium habet.

"Ad 5. ſylva vocabulorum ex hoc codice proferri poſſet, ſed ſufficient hoc lo-
"co, ut puto, *Biniman*, benemen: *Bivindan*, bewindan, involvere: *Birin-*
"*nan*, berennen: *Biſpeivan*, ausſpeyen: *Biſauljan*, beſudlen: *Bibundans*,
"gebunden. quæ omnia à Septentrionalium loquela, præcipue veteri illa, val-
"de abludunt.

"Properanter nimis, fateor, & abſque ſufficienti meditatione hæc à me prolata
"ſunt; verum nihilominus elucere hinc arbitror, idioma quo conſcripta eſt hæc
"Verſio, longe propius ad Germanicam loquelam, quam ad Septentrionis diale-
"ctum accedere, id quod adhuc magis illuceſceret, ſi quis ſingulas hujus verſionis
"voces, flexiones earum, & varia huc pertinentia conferre vellet cum idiomate
"illo, quod majoribus noſtris ante DCCCC vel M annos in ore erat. His taliter
"qualiter abſolutis, diſpiciendum erit, an indubia ſit eorum aſſertio, qui ſæpe di-
"ctam verſionem ex Græco codice factam eſſe volunt. Scrupulum, niſi fallor,
"injicient hæc ſequentia. *Thaiaufeilus*, Theophilus, Lucæ 1, 3. *Thaddaius*, Mar-
"ci 3, 18. *Lazarus*, Lucæ 16, 20. *Zakkaius*, Lucæ 19, 8. *Xriſtus*, Marci 15, 32.
"*Iſraelis* ibidem. *Peilatus* aliquoties. *Aggilus*, Lucæ 1. verſibus 26, 28, 30, 35,
"38. Has nominum terminationes ad Græcorum imitationem factas eſſe nemo
"dicet. Et Latina manifeſte ſunt. *Aqvos*, flumina, Matth. 7, 25, 27. Joh. 7, 38.
"*Aqvai*, flumine, Marci 1, 5. *Kubituns*, Luc. 9, 14. *Anakumbjan*, diſcumbere,
"ibidem. *Militondans*, milites, Lucæ 3, 14. *Vidovo*, vidua, Lucæ 7, 12. & forte
"plura, quæ admiſcuiſſe interpretem veriſimile non eſt, niſi Latinum codicem
"ante oculos habuiſſet. Interea diſſimulari non debet, eſſe in hac verſione non-
"nulla loca, quæ Græco quam Latino textui ſimiliora videntur.

"Hinc tandem concludo, eſſe hunc codicem, qui hactenus Gothicus dictus
"eſt, antiquiſſimam verſionem Germanicam factam ab aliquo Romanæ linguæ
"gnaro, qui Latinam verſionem ut plurimum ſit ſecutus, ſed interea Græcum
"quandoque conſuluerit textum. Latina iſta verſio an *Hieronymi* fuerit, dubi-
"to: antiquiorem quandam fuiſſe magis crederem, nec deſunt penitus hujus rei
"argumenta, modo tempus ſuppeteret ſingula ſatis rimari. Quidquid de hoc
"ſtatuatur, id demum certum erit, nullo ſatis ſolido fundamento verſionem ſæ-

(*a*) *Gahugd*, Lege *Gahugda*.

"pe

"pe dictam ad Ulphilam Gothorum episcopum, referri. Scribunt quidem au-
"ctores fide digni dictum Ulphilam sacrum codicem in suam transtulisse lin-
"guam; at hanc istam esse versionem nemo probabit. Et codex ipse Argenteus
"tam remote à Gothorum sedibus in cœnobio Werthinensi olim asservatus, nul-
"lum hujus rei præbet argumentum, immo longe aliud nobis persuadet. Vellem
"equidem præstantissimum hocce antiquitatis monumentum, Gothicum esse, ut
"majorum nostrorum idioma, quod cum Suecica gente idem fere semper fuit,
"inde discere possemus; sed veritati ubique litandum esse censeo."

§. 2. Hactenus cl. *Magnæus*, cui, quod ad Primum argumentorum, nimirum *Quod codex Argenteus & Teutones* sive *Germani articulos demonstrativos vocibus præponant, Gothi vero Scandinaviani & reliqui Septentrionales subnectant* (ex. gr.

	Cod. Arg.	Germani.	Sueci.
Nomin.	SA ψINDANS,	der koenig,	*konungen.*
Genet.	ψIS ψINDANIS,	des koenigs,	*konungens.*
Dat. & Abl.	ψAMMA ψINDANA,	dem koenige,	*konungenom.*
Accus.	ψANA ψINDAN,	den koenig,	*konungen.*)

ideo Teutonicam esse versionem, non vero Gothicam, quo minus assentiar, facit quod observasse mihi videar olim apud Gothos, majores nostros, nullum fuisse Articuli *demonstrativi*, vel si mavis appellare *definitivi* usum.

§. 3. Si superessent integræ Vigeri Spa i. e. Sapientis, Legiferi Uplandiæ, qui vixit seculo p. N. Chr. — (*a*) regnante Ingello, vel Lumberi, Legiferi West-Gothiæ etiam ante illata sacra Christiana, Collectiones Legum, quarum priori ortum debet Jus Uplandicum, alteri West-Gothicum, sed tunc usitatæ loquendi scribendique rationi accommodata, certiora daremus testimonia, nunc provocandum ad Inscriptiones Runicas. *Hillestoensis* apud *Olavum Verelium* antiquarium peritissimum, Runographiæ Scandicæ cap. VIII.

--IK ΨAÞIR ÞUAΨ AT ИUNAR ARΨI.
IN MOTHIR KUAM AT SUNAR ARFI.

moderno idiomate, *Och modren kom at ärfva sonen.*

Salensis ibidem, p. 37.

ÞIИTI ÞΡ AΡΨTAK MTÞ AÞUA ИTIK ÞΡΨIR
ÞAΨ ΡAÞÞR ИIK.
VISTI UK ALFTAN LITU AKVA STEN YFTIR
ULM FATHUR SIN.

Hodie, *Visti och Alfdan låto hacka Stenen efter Ulm fader sin.*

(*a*) Torf. serie p. 238. ad seculum VI. refert. *Wildæ* Præpart. Hodeget. p. 119. ad Sec. VII. Skani-

Skanilenſis eodem capite, p. 38.

ᚿᛁᚠᚢᛁᚱ ᛅᚢᚴ ᛁᚿᚴᚢᛅᚱ ᛅᚢᚴ ᛁᛅᚱᛚᛅᛒᛅᚿᚵᛁ
ᛚᛁᛏᚢ ᚱᛁᛋᛏᛅ ᚱᚢᚾᛅᚱ.
SIGUITHR AUK INGUAR AUK JARLABANGI
LITU RISTA RUNAR.

nunc *Sigvither och Inguar och Jarlabengi*
låto riſta Runarna.

Vaſſundenſis, p. 40.

ᛁᚿᚴᛁᚠᛅᛋᛏᚱ ᛚᛁᛏ ᚱᛅᛁᛋᛅ ᛋᛏᛅᛁᚿ.
INGIFASTR LIT RAISA STAIN.

hodierno uſu *Ingifaſter låt reſa ſtenen.*

Plura ſis vide eodem capite & ſequentibus, item apud omnes qui paſſim Inſcriptiones Runicas edidere (quæ, ut obiter dicam, ut junctim prodeant ſuadeo & peropto) puta *Buræum*, *Peringſkioldium*, *Olavum Celſium* virum eruditiſſimum, paſſim in Actis Litterariis Sueciæ.

§. 4. Jam ſi vetuſtiſſimis temporibus eadem fuit Teutonum, quà quà patuere, & Septentrionalium lingua, quod nemo diffitebitur, nam nec hodieque niſi dialecti ſunt, oportet etiam Teutonas Articulis hujuſcemodi tum caruiſſe. Quia vero nunc habent pariterque Mœſo-Gothi præfigunt, ſi quæras unde ergo mutuos ſumſerint? dicam ſine ambitu à Græcis, cum expeditionum bellicarum armorumque ſocietate conjuncti illos modo vincerent, modo ab illis vincerentur.

§. 5. Sed hæc mox copioſius, nunc ne paradoxis me delectari ſuſpiceris, par eſt oſtendam, Cod. Argent. alia præbere eaque evidentiſſima argumenta imitationis linguæ Græcæ. *Alphabetum Ulphilanum manifeſte ex Græco formatum eſt*, ſicut optime monuit *Godefr. Guil. Leibnitius* epiſtola ad Joh. Chamberlainium p. 27. *ſed populos Teutonicos à Græcis remotiores litteris ex Romano Alphabeto corruptis uſos conſtat.* Sonus geminati elementi Γ & Γ ante Κ ex. gr. in ΑΓΓΙΑΝS, Ἄγγελος: ΓΑΓΓΑΝ, *Gånga*, ΓΑΓΓ, *Gång*, ΜΓΚIS, Marci 10, 37. quid niſi Græcus? Ratio numerandi, Α, 1, Β, 2. Γ, 3. Δ, 4. Ε, 5. Ϛ, 6. Ζ, 7. Η, 8. Ψ, 9. Κ, 20. Λ, 30. Μ, 40. &c. &c. prorſus Græca. Numerus Dualis Nominum, Pronominum, Verborum, indubitatum indicium Græciſmi. Dixi ad imitationem linguæ Græcæ hoc factum eſſe, non enim hic dicendi locus eſt de convenientia & propinquitate utriuſque linguæ Græcæ Gothicæque. Multo remotiori ætate hæc cœpit, & ad primas migrationes gentium referenda, adeo ut & Græca & Gothica Septentrionaleſque omnes, item Teutonicæ, alterius veterrimæ, ſive Scythicam ſive alio nomine appellaveris, mihi perinde erit, filiæ ſint, prorſus ut vere dixerit *Franciſcus Junius* Græcam & Gothicam linguam non niſi dialectos eſſe, & hinc toties in Gloſſario Gothico, cum in etymis eruendis occu-

occupatur, provocet ad linguam Græcam, præſertim qualis in ore erat Dorum atque Æolum.

§. 6. Concludo itaque, non ſequi Germanicam eſſe verſionem, quæ in codice Argenteo, quia Articuli demonſtrativi nominibus præponuntur tam in idiomate Mœſo-Gothico quam Germanico hodierno, in Scandinaviano nunc ſubjiciuntur, ſed ſicuti apud hoſce recens, ſi cum quatuordecim admodum ſeculis comparetur, illorum uſus, ſic & Mœſo-Gothos & Teutonas à Græcis illos accepiſſe; addo, Italos, Gallos, Hiſpanos, à Gothis & qui illis miſti, victoribus didiciſſe articulos nominibus præfigere, quæ obſervatio eſt eximii viri *Lamberti Kateni* in Manuductione ad notitiam linguæ Belgicæ, T. 1. p. 355. *'T is opmerkeliik dat (niettegenſtaende de Italianen, Spanjaerts en de Gallen, bevorens zii door de volkeren van Duitſchen ſtamme verwonnen waren, van geene* Articuli *wiſten, zo dat ze zulks van hare verwinners, en dat genoegſaem op eene wiize, ſchiinen geleert te hebben) egter de oud-Duitſche ſchriften, als 't Mœſo-Gottiſch, Aengelſaxiſch, en Frankduitſch, waer van de twee laeſtgenoemde nogtans eenige eeuwen jonger ziin dan die overwinningen, van zulk gebruik geen teeken hebben.*

§. 7. Vim *Secundi* argumenti, quo utitur optimus Magnæus fateor me non capere. *Matthæi* 8, 24. ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων vertitur ᛋᛁᛚ ᛋᚹᛖ ᚹᚨᛏᚨ ᛋᚲᛁᚾ ᚴᚨᚺᚾᛚᛁᚹ ᚴᛚᛁᚴᚹᚨᚾ ᚦᚱᚨᛗ ᚴᛖᚴᛁᛗ. Germanice Alſo, daſs auch das ſchifflein mit wellen bedeckt ward. Quaſi non etiam Sueci diceremus: *ſå at ock skepet wardt hôlt af wågarne.* Nihil unquam uſitatius, licet pauci norint rationem differentiæ inter phraſes, *skepet hôlides* & *skepet wardt hôlt*, ut ut in loquendo illam obſervent. Immo, validum contra Teutoniſmum codicis Argentei argumentum, quod ille agnoſcat ſimplicem vocis Paſſivæ formationem, ſicut etiam nos Sueo-Gothi, Teutonibus autem neceſſaria circumlocutio Participii & vocis Seyn ſ. Werden.

§. 8. *Tertia Quartaque* ratio (junctim enim tractabimus) deſumitur ex augmento *Ga* verbis nominibuſque præmiſſo in Cod. Argenteo, pariterque lingua Germanica. Ex. gr. *Gahailjan*, Sanare: *Gahrainjan*, Mundare: *Gaſtandan*, Manere: *Gaskoh*, Calceamenta: *Gahugda*, Animus; Germanice in Præterito Perf. Er hat Geheilt: Er hat Gereinigt: Er iſt Geſtanden. *Gaskoh*, quaſi Geſchue. Sueo-Gothice, *at Hela: at Stå: at Rena: Skor: Hug* &c. Sed hanc objectionem excipere non difficile altius cogitanti, Sueo-Gothos etiam *Ga* ſive *Ka*, eâdem enim runa ſive elemento alphabetico (ᚴ) exprimebatur Latinorum Græcorumque G & K, verbis nominibuſque olim præfixiſſe, ejuſque veſtigia etiamnum ſupereſſe, adeo ut multa vocabula, quæ nunc pro monoſyllabis habentur, compoſita ſint ex *Ga* ſive *Ka* & ipſa radice.

Verbi gratia. KNUT ex *Ka* & *Nut*; hanc enim fuiſſe vocem ſimplicem evidens ex *Not*, *Net*, Rete, itemque Latinorum *Nodus*. Scripſiſſe autem Septentrionales *Kanut* & contracte *Knut* ipſum nomen proprium *Kanuti* teſtatur.

GAS ex *Ga* & *Ans*, hæc enim altera pars compoſiti, conſtat ex Latino *Anſer*.

KLINKA ex *Ka* & *Loka*, quod hodieque dialecti Daliæ Wermlandicæ, Latinis *Peſſulus*.

KRINGLA, Orbis, ex *Ka* & *Ring*, quod à rotunditate & ambitu hodieque quod Latinis *Annulus*. *Kring-lôpa* idem quod *Lôpa i ring*, circumcurſitare, gyrare.

KRYPA ex *Ka* & *Refva*, unde *Hummelref*. Simplex in Latinorum *Repere*. unde Gallorum *grimper*.

GLUPSK, Vorax, ex *Ge* & *Ulf*, Lupus, qui etiam à voracitate & quia infeſtiſſimum animal domeſticis, & ut ille ait *triſte ſtabulis* appellationem ſortitus, ſicut etiam *Lupus marinus*, piſcium ſui generis rapaciſſimum.

Gnoka, Nog. *Gnoka giſting*, nunc *Nog geſtning*. v. Cantil. Ragnari Lodbrok. Strophe III.

GUNST ex *Ge* & *Ynneſt*, olim *Anſts*, Gratia. *Ulphilas* Lucæ 2, 40. *Anſts Guths was ana imma*, Gratia Dei erat ſuper eum.

GRANSKA ex *Ge* & *Ranſaka*, accurate ſcrutari & in rem aliquam inquirere.

Hæc ſpeciminis loco, & ne nimietate obſervationum Grammaticarum tædioſus ſim, nihil addam, nec quod ad *Quintum* argumentum de particula *Bi* in cod. Arg. verbis præpoſita, ſimul ac Germanis familiari, quæ ipſa noſtratium *Wid*, ſive ut antiqui *Wither*; nam hæc notiſſima.

CAP. IV.

§. 1. GOTHOS Scandinavia egreſſos eſſe, & qua ætate, loca item quæ peragrabant quoad cum Romanis bella gerere cœperunt, poſſem evincere, nullo adſcito colore; ſed ad aliud hæc reſervans tempus, id mihi negotii nunc datum putabo ut oſtendam qua ætate & modo Chriſtianis ſacris Gothi, quorum uſibus tranſlatio hæc ſacrorum evangeliorum dicata fuit, ſint initiati. Quia vero ſine nexu hiſtoriæ civilis manca omnis hiſtoriæ eccleſiaſticæ tractatio, addam quæ de variis inter Romanos Gothoſque prœliis ac fœderibus uſque ad occupatam ab Alarico Romam veterum teſtimoniis conſtant.

§. 2. Gothicum nomen in hiſtoricis, qui ſuperſunt Latinis haud invenies memoratum ante ætatem Antonini Caracallæ, idque primum occaſione diaſyrtici dicti, quod cum Romanorum more, ex devictis gentibus non modo *Germanici*, ſed & *Parthici*, *Arabici* ac *Alemannici* cognomina ſibi adſciverat, in eum conjecit Helvius Pertinax: poſſe illum etiam *Geticum Maximum ſe appellare, quod Getam*

Getam occiderit fratrem, & Gothi Getæ *dicerentur, quos ille dum ad orientem tranſiit, tumultuariis prœliis devicerat,* Spartianus vita Caracallæ cap. 10. Erant itaque tunc Gothi in Dacia Trajani, nunc Tranſylvania, anno æræ Chr. 214. illic enim aliquantum morabatur Auſonia hæc beſtia in itinere conſtitutus orientali, ceu idem *Spartianus* teſtis, cap. 5.

§. 3. Gothos hac ætate in Thracia etiam fuiſſe credendum *Symmacho* hiſtorico, cujus fragmentum nobis ſervavit *Jornandes* Geticis, cap. 15. Scribit enim Maximinum, qui Alexandro Severo ab exercitu, quæ erat illius imperii infelicitas & tot malorum origo, quin & præcipua interitus cauſſa, factus Imperator, *ex infimis parentibus in Thracia natum eſſe, patre Gotho nomine Micca* (ſic codd. meliores, quin & *Jornandes* de Regnorum Succeſſ.) *matre Alana, quæ Ababa* (cod. opt. Vaticanus, olim Palatinus, *Abara*, quod probo, vetus enim & frequens Septentrionalibus noſtris, *Haber*, Jornandes dicto loco *Abaqua*) dicebatur, unde quoque Septimio Severo per jocum *Thraciſcus* audiebat. *Herodianus* lib. VI. cap. 8. ait eum fuiſſe τὸ μὲν γένος τῶν ἐνδοτάτων Θρᾳκῶν καὶ μιξοβαρβάρων, ἀπό τινος κώμης, *è quodam Thraciæ, & quidem intimæ vico, ſemibarbarum.* Quia vero ſub hoc Severo meruit, & provecta demum ætate in imperatorium ſublatus eſt faſtigium, anno æræ Chr. 235. oportet ſeculo II vergente parentes ejus Thraciam inhabitaſſe.

§. 4. Sub Gordiano III, qui ab anno 238 ad 244 imperavit, ductu, ceu probabile eſt, Miſithei Gothos victos conſtat indicio tituli, quem ei mortuo ſtatuerunt milites & *Capitolinus* in Gordianis cap. 34 ad poſteritatem tranſmiſit: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARUM, VICTORI GOTHORUM, VICTORI SARMATARUM, & reliqua. Actus haud dubie de illis triumphus in ipſa expeditione Perſica anno 242, in qua quidquid hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit atque ſubmovit, ceu ait *Capitolinus* lib. dicto cap. 26.

§. 5. Romanis jam pridem fœderatos & annua munera ſibi ſtipulatos fuiſſe, cum aliunde notum, tum ex cauſſa inimicitiarum cum Philippo imperatore. *Tunc enim Gothi diſtracta ſibi ſtipendia ſua ferentes ægre, de amicis facti ſunt inimici. Nam quamvis remoti ſub regibus viverent ſuis, reipublicæ tamen Romanæ fœderati erant, & annua munera percipiebant,* ceu ait *Jornandes* Geticis cap. 16, ubi etiam docet Oſtro-Gotham, quintus is erat à Gapto (vel Gautho) tunc cum ſuis tranſiiſſe Danubium, Mœſiam Thraciamque vaſtaſſe. Triſte hoc prorſus fuit Romanis. etenim milites, quia tranſitum Gothorum prohibere nequiverant, exauctorabantur, *quod illi indignati,* verba ſunt Jornandis, *ad Oſtro-Gothæ auxilium confugerunt. Qui excipiens eos, eorumque verbis accenſus, mox trecenta millia* (ſic optimi codd. Palatinus & Nazar. non *triginta millia*) *virorum armata produxit ad prœlium, adhibitis ſibi Taiſilis & Aſtringis & Carporum tria millia. --- His*

addens

addens Gothos & Peucinos -- Argaithum & Gunthericum, nobiliſſimos ſuæ gentis, præfecit ductores. Qui mox Danubium vadati, & ſecundo Mœſiam populati, Marcianopolim ejuſdem patriæ urbem famoſam, metropolim aggrediuntur, diuque obſeſſam, accepta pecunia ab his qui inerant, reliquere. Argaithus hic, ipſe eſt Capitolini in Gordianis cap. 31. *Arguntis Scytharum rex*; excerpſit enim hunc locum ex quodam hiſtorico Græco, Græcis vero hujus ætatis, eoſque ſæpe imitantibus Latinis ſolemne, Gothos *Scytharum* nomine appellare. Incidit hæc impreſſio Gothorum in ipſum millenarium Urbis Romæ, i. e. annum 248 æræ Chriſtianæ.

§. 6. Bellicoſus Gothorum animus non patiebatur eos diu quietos eſſe, itaque Mœſiam Thraciamque iterum ingreſſi, poſt ancipites conflictus Decius imperator anno 251 exeunte *veniens Abrutum Mœſiæ civitatem* (neſcio quam. Cod. Ottobon. non alioquin optimus *Abrito*, & ſic codex Freherianus Jornandis de Succ. Imp. monente *Scaligero* animadverſionibus ad Euſebii Chron. p. 236, *Caſſiodorus* Chronico, *Abricio Thraciæ*) *circumſeptus à Gothis & ipſe extinguitur, imperii finem vitæque terminum faciens.* Jornandes Geticis cap. 18.

§. 7. Quod rebus ſuis convenientiſſimum putavit Gallus Imperator, mox fœdus cum gente Gothorum pepigit, *Jornandes* cap. 19. Quam diu duraverit non facile dictu, id certum, ſub Gallieno *homine*, ait *Trebellius* cap. 5. *luxurioſiſſimo, & ſi eſſet ſecurus, ad omne dedecus paratiſſimo*, vicinas Aſiæ regiones eos vaſtaſſe. *Hoc in omni laſcivia reſoluto, Reſpa & Veluco, Thuro* (nomen hodieque nobis Sueo-Gothis uſitatiſſimum) *Varoque duces Gothorum*, (auſpiciis, ceu arbitror, Athalis, Oſtro-Gothæ ex filio Hunil nepotis) *ſumtis navibus Aſiam tranſiere, fretum Helleſponticum tranſvecti, ubi multis ejus provinciæ civitatibus populatis, opinatiſſimum illud Epheſiæ Dianæ templum -- igne ſuccendunt, partibus Bithyniæ delati Chalcedonem ſubvertere*, Jornandes cap. 20. Curate Aſiam appellat *provinciam*, videlicet proprie dictam Aſiam. Non ſatis conſtat utrum ſimul *in Cappadociam*, hinc ad Pontum Euxinum *navibus factis Heracleam* Bithyniæ *pervenerint*, vide *Trebellium* in Gallienis cap. 11 & 12. qui ſi ordinem rerum geſtarum obſervavit, referenda hæc expeditio ad annum Chr. N. 264, Gallieno & Saturnino COSS. vide ibidem cap. 10. tunc enim *Odenatus bello Perſico occupatus fuit*, rurſus ibidem cap. 12 fine. *Poſt Aſiæ tale excidium Thracia eorum experta eſt feritatem, nam ibi ad radices Hæmi montis mari vicinam Anchialos civitatem aggreſſi --- exinde ad proprias ſedes regreſſi ſunt*, ceu ait *Jornandes* memorato loco, confer *Trebellium* cap. 13, nobis enim non licet eſſe longioribus.

§. 8. Felici ſydere Romanorum Imperator factus eſt Flavius Claudius, *ille enim bellum Gothicum brevi tempore implevit*, dicente *Trebellio* ejus vita cap. 3. Claudius ipſe epiſtola ad Junium Broccham, ibidem cap. 8. *delevimus trecenta viginti millia Gothorum*, nimirum prope Naïſſum, celebrem Mœſiæ Superioris urbem,

urbem, hodieque *Niſſa* dictam. *Factus miles barbarus & colonus ex Gotho, nec ulla fuit regio, quæ Gothum ſervum triumphali quodam ſervitio non haberet*, cap. 9. Et *Eumenius* Panegyrico cap. 2. *Claudius immanes Gothorum copias Ponti faucibus & Iſtri ore proruptas, terra marique delevit.* Cladem hanc Gothorum merito retuleris ad annum 269 vergentem. Regnavit enim à nono kal. Aprilis anni 268, annum unum, menſes novem, vel ut alii, decem, & *finito bello Gothico Claudius affectus morbo mortales reliquit*, docente ſæpius laudato *Trebellio Pollione* cap. 12. cujus annotatio de iis, qui effugerant uſui nobis erit infra: *cum ſe in Hæmimontum* ait cap. 11 *multitudo Barbararum gentium, quæ ſuperfuerat, contuliſſet, illic ita fame ac peſtilentia laborarunt, ut jam Claudius dedignaretur & vincere.* Meruit ei hæc victoria cognomen *Gothici*, & pulcerrimus eſt apud *Triſtanum* T. III. p. 193 nummus memoriæ ejus dicatus: IMP. C. M. AVG. CLAVDIVS GOTHICVS. Caput. *aversâ* VICTORIA GOTHICA.

§. 9. Immortali Dei beneficio factum eſt quod Gothi hiſce expeditionibus Chriſtianam religionem ſint lucrati. Id nos docet *Sozomenus* Lib. II. cap. 6. Γότθοι, καὶ ὅσοι τούτοις ὁμορεῖ τὸ πρὶν ἦσαν ἀμφὶ τὰς ὄχθας Ἴστρου ποταμοῦ, πάλαι μεταχόντες τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, ἐπὶ τὸ ἡμερώτερον καὶ λογικὸν μεθηρμόσαντο. πᾶσι γὰρ βαρβάροις ῥᾳδία φάσις συνέζη πρεσβεύειν, τὸ δόγμα τῶν χριστιανῶν, οἱ γινόμενοι κατὰ καιρὸν πόλεμοι Ῥωμαίοις καὶ τοῖς ἀλλοφύλοις, ἐπὶ τῆς Γαλλιηνοῦ ἡγεμονίας, καὶ τῶν μετ' αὐτὸν βασιλέων. ἐπεὶ γὰρ τότε πλῆθος ἄφατον μιγάδων ἐθνῶν ἐκ τῆς Θράκης περαιωθὲν τὴν Ἀσίαν κατέδραμεν, ἄλλοι τε ἀλλαχῆ βάρβαροι ταυτὸν ἐργάσαντο τοῖς παρακειμένοις Ῥωμαίοις, πολλοὶ τῶν ἱερέων τοῦ Χριστοῦ αἰχμάλωτοι γινόμενοι, σὺν αὐτοῖς ἦσαν. ὃς δὲ τοὺς αὐτόθι νοσοῦντας ἰῶντο, καὶ τοὺς δαιμονῶντας ἐκάθαιρον Χριστὸν μόνον ὀνομάζοντες, καὶ υἱὸν θεοῦ ἐπικαλούμενοι, ὥσθ' ἡ καὶ πολιτείαν ἄμεμπτον ἐφιλοσόφουν, καὶ ταῖς ἀρεταῖς τὸν μῶμον ἐνίκων, θαυμάσαντες οἱ βάρβαροι τοὺς ἄνδρας, τοῦ βίου καὶ τῶν παραδόξων ἔργων, οὗ φρονεῖν συνεῖδον, καὶ τὸν θεὸν ἵλεων ἔχειν εἰ τοὺς ἀμείνους φαίνοιντο μιμήσαιντο, καὶ ὁμοίως αὐτοῖς τὸ κρεῖττον θεραπεύοιεν. ὥσθαλλόμενοι οὖν αὐτοὺς τοῦ πρακτέου καθηγητὰς, ἐδίδασκοντο, καὶ ἐβαπτίζοντο, καὶ ἀκριβῶς ἐκκλησίαζον. *Gothi, & gentes illis finitimæ, quæ antea ad ripas Iſtri habitaverunt, jampridem* (confert tempora Conſtantiniana cum antiquioribus) *fide in Chriſtum concepta, ſe ad cultum civiliorem converterunt. Occaſio autem Barbaris amplectendi dogmata Chriſtiana, fuere bella cum Romanis ſub Gallieno Imperatore & ſucceſſoribus. Nam cum infinita ferme & promiſcua multitudo gentium ex Thracia in Aſiam irrupiſſet, & aliunde Barbari Romanos finitimos infeſtaſſent, multi ſacerdotes Chriſtiani pariter captivi abducebantur. Hi cum homines in illis locis morbo laborantes ſanarent, & furioſos liberarent, ſolo nomine Chriſti, Filii Dei, invocato, adhæc vitam agerent inculpatam, & morum præſtantiâ obtrectatorum ora obturarent, Barbari eos eorumque vitam & miraculorum dona admirati, recte ſe facere putabant, & Deum propitium habituros ſi adeo eximios viros imitentur & ſimiliter Deum colant. Poſtulantes itaque doctores, inſtituebantur, baptizabantur, & ritus eccleſiaſticos obſervabant.*

bant. Huc etiam pertinet illud *Paulli Diaconi* Hiſt. Miſcella lib. x. cap. 14 fine, *Tunc multæ gentes ad baptiſmum acceſſerunt miraculis actæ, quæ patrata ſunt à captivis ſacerdotibus, qui fuerant ſub Gallieno captivati.*

CAP. V.

§. 1. CLAUDIO fidelem operam in bello Gothico præſtitit Aurelianus: *Gothi oppugnandi ſunt; Gothi à Thraciis amovendi; eorum enim plerique Hæmimontum Europamque vexant, qui te pugnante fugerunt,* Claudius ipſe Epiſtola ad Aurelianum, apud *Vopiſcum* cap. 17, & hæc eſt Gothorum in Thracias fuga poſt pugnam Naïſſeam, quam memoravimus capite ſuperiori §. 8. Cum biennio ferme imperaverat, i. e. anno 272, contra Zenobiam Palmyrenorum, exercitum ducens, *in Thraciis & in Illyrico occurrentes Barbaros vicit. Gothorum quinetiam ducem Cannabam ſive Cannabaudem cum quinque millibus hominum trans Danubium interemit,* Vopiſcus cap. 22. *Gothici* cognomen ei tributum idem ſcribit cap. 30, & cum confecto bello orientali triumphum Romæ ageret, *Capitolium invectus eſt curru quatuor cervis juncto, qui fuiſſe dicebatur regis Gothorum,* ibidem cap. 33.

§. 2. Diocletiano, Maximianis Herculio (*a*) & Armentario, partim opem tulere Gothi, ceu in expeditione Perſica anno 297, adeo ut Jornandes Geticis cap. 21, non vereatur dicere, *Maximianum* (puta Armentarium, tunc non niſi Cæſarem) *pene cum eorum ſolatio* (i. e. milite mercenario) *fugaſſe Narſem regem Perſarum, Saporis Magni nepotem:* partim Romanos ad annua tributa ſibi pendenda compulerunt, dicente *Euſebio* vitâ Conſtantini lib. IV. cap. 5. Interdum quoque à Romanis victi, quorſum pertinent Acta ſ. Demetrii Martyris, quorum ſpecimen dedit *Montfauconus* Palæogr. Græca lib. IV. cap. 9. Μαξιμιανὸς ὁ καὶ Ἐρκούλιος ὑποπέμψας Γότθους καὶ Σαρμάτας τοῖς Ῥωμαίοις, *Maximianus Herculius cum Gothos & Sarmatas in poteſtatem Romanorum redegerat.*

§. 3. Tandem aſſiduæ ducum Romanorum de ſumma imperii concertationes non potuere non etiam Gothos modo turbare, incertos quos præcipue ſequerentur, modo irritare per ſe admodum cupidos pugnandi, & in vitio ponentes domi inſegnes ſedere. *Sic &*, ut rem in compendium mittamus, *ſub Conſtantino rogati ſunt, & contra cognatum ejus Licinium arma tulere, eumque devictum & in*

(*a*) Dans une inſcription faite l'an 292 ou pluſtard, Hercule prend le titre de Gothique, & celui d'imperator pour la huittieme fois. *Onuph.* p. 260. Un Panegyriſte marque auſſi que les Gots s'eſtoient ſoumis à demander la paix. la victoire remportée ſur eux grande ou petite, appartient apparemment à Diocletien. *Panegyrici* Vet. VIII. p. 107. Tillem. Empereurs T. IV. p. 9.

Theſſa-

Theſſalonica clauſum, privatum ab imperio (ſic conſtanter MSS.) *Conſtantini victoris gladio trucidarunt*, Jornandes Geticis cap. 21. Porro, eodem narrante, *Gothi, fœdere inito cum Imperatore, XL. ſuorum millia in ſolatia contra gentes varias obtulere, quorum & numerus & militia uſque ad præſens in republica nominatur, id eſt Fœderati. Tunc etenim ſub Ariarici & Aorici regum ſuorum florebant imperio.* His Conſtantino fœderatis oriundi videntur illi, quibus præerant Sueridus & Colias, Gothorum optimates, quique Fritigerno ſe junxerunt anno 376, ceu fuſius narrat *Ammianus*, quem confer lib. xxx. cap. 6. Hoc ut credam faciunt verba ejus: *eum populis ſuis longe ante ſuſcepti.* Sed ut ad Jornandem revertar, mirum eſt, eum non meminiſſe victoriæ in eos Conſtantinianæ, quam non tacent veteres: Anonymus Excerptis ab *Henr. Valeſio* editis: *deinde* (condita Conſtantinopoli) *adverſum Gothos bellum ſuſcepit, & implorantibus Sarmatis auxilium tulit. Ita per Conſtantinum Cæſarem centum prope millia fame & frigore exſtincta ſunt. Tunc & obſides accepit, inter quos & Ariarici regis filium.* Paulo infra: *Gothorum fortiſſimas & copioſiſſimas gentes in ipſo Barbarico ſolo, hoc eſt in Sarmatarum regione delevit.* Dicant certiora alii, mihi veriſimile, voluiſſe Jornandem quantum unquam poſſet, victorias laudare gentis Gothicæ, nec libenter memorare clades. Sic nec verbo meminit victoriæ, quam ex illis retulit Claudius, de qua ſupra. Sed ſi vel maxime ſilerent hiſtorici veteres, ſupereſt nummus indubiæ fidei apud *Cangium*, Familiis Byzant. Tab. III. & alius in *Andreæ Morelli* Specimine Tab. VII. IMP. CONSTANTINVS MAX. AVG. Caput laureatum. *aversâ* DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM. *infra* GOTHIA TR. (i. e. Treviri, puta, ſignatus) Miles Romanus captivum Conſtantino adducit, vel ſi mavis Ariaricus ipſe filium obſidem tradit. Sarmatis confines fuiſſe Gothos hoſce bene obſervat *Anonymus*, itaque *Idatii* vulgo dicta Deſcriptio Conſulum: *His COSS.* Pacatiano & Hilariano, *victi Gothi ab exercitu Romano in terris Sarmatarum, die XII kal. Maii*, nimirum æræ Hiſpanicæ CCCCXX, i. e. Chr. N. 332. (*a*) Sic proinde modo fœderati, modo hoſtes Conſtantini, modo iterum amici, & quidem adeo grati, ut eos *aduſque faſces augeret & trabeas Conſulares*, quod in eo reprehendit Julianus Imperator apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XXI. cap. 10.

§. 4. Gothorum, qui Chriſtianam religionem amplexi conſtantiam & orthodoxiam vel inde videris, quod eorum epiſcopus Theophilus (*b*) celebri Concilio Oecumenico Niceno intererat, teſte *Socrate* Lib. II. cap. 41. πάντη δὲ οὐλφίλας ὁ τῶν

(*a*) Curatius explicandæ geminæ de Gothis victoriæ Conſtantini, tam anni 323, quam 332.

(*b*) Subſcriptiones in Tomis Conciliorum *Metropolitanum Gothiæ* appellant. Γότθων

Γότθων ἐπίσκοπος τότε πρῶτον συνίθετο. τὸν γὰρ ἔμπροσθεν χρόνον, τῷ ὑπ Νικαίᾳ πίστιν ὑποπίζετο ἑπόμενος Θεοφίλῳ, ὃς τῶ Γότθων ἐπίσκοπος ὢν, τῇ ὑπ Νικαίᾳ συνόδῳ παρὼν καθυπέγραψε. *Huic* (concilio Conſtantinopolitano III anno 360) *Ulphilas Gothorum epiſcopus tum primum aſſentiebatur, nam antea amplexus fuerat Nicenam fidem, ſequutus veſtigia Theophili Gothorum epiſcopi, qui in Niceno Concilio præſens, decretis ejus ſubſcripſerat.* Pro καθυπέγραψε, editio *Roberti Stephani* habet ᾧ ἀχ' ὑπέγραψε, quæ lectio ut ut ita vitioſa, ut etiam ſenſu careat, & verſione *Caſſiodori* in Tripartita lib. v. cap. 38 refutetur, placet tamen *Chriſtoph. Sando* Hiſt. Eccleſ. II. p. 168 dum anquirit conſenſum tam veterum quam recentiorum in dogmate Ariano. Sedem epiſcopalem Theophili non habeo dicere, & vagam fuiſſe puto, tam illius quam ſucceſſorum longo poſt tempore, pro conditione ipſius Gentis. Id ſolum dicitur, *Gothorum in Dacia epiſcopum fuiſſe.*

CAP. VI.

§. 1. SUB filiis Conſtantini nullum adverſus Romanos bellum geſſerunt, reverentia nominis Conſtantiniani, nam illis quoque mortuis, *cum Procopio auxilia miſiſſent civilia bella cœptanti*, ut ait *Ammianus* XXVII. cap. 4, *Victor magiſter equitum ad Gothos eſt miſſus, cogniturus aperte quam ob cauſſam gens amica Romanis, fœderibuſque ingenuæ pacis obſtricta, armorum dederat adminicula bellum principibus legitimis inferenti. Qui ut factum firma defenſione purgarent, litteras ejuſdem obtulere Procopii, ut generis Conſtantiniani propinquo imperium ſibi debitum ſumpſiſſe commemorantis, veniaque dignum aſſerentes errorem*, ibid. cap. 5. Ad hæc latiſſime tum imperanti Hermanricho ſatis negotii erat cum gentibus, quas vel hæreditario jure regebat, Oſtro-Gothæ cujus meminimus cap. 4. §. 5. abnepos, vel perdomuerat, *ſuiſque parêre legibus fecerat*, vide *Jornandem* Geticis cap. 23. qui recenſitis bellicoſiſſimis iiſdem gentibus arctois, addit: *Æſtorum* (ſic lege cum veterrimis codd. non *Æſtrorum*, Eſthones hodieque dicuntur) *quoque ſimiliter nationem, qui longiſſimam ripam oceani Germanici* (puta maris Balthici,) *inſident, idem ipſe prudentia ac virtute ſubegit, omnibuſque Scythiæ & Germaniæ nationibus ac ſi propriis laribus imperavit.* Unde etiam recte *Ammianus* XXXI. cap. 3. *Ermenrichi late patentes & uberes pagos -- bellicoſiſſimi regis, & per multa variaque fortiter facta vicinis nationibus formidati.*

§. 2. Qua fide fœdera tunc pacis Romanæ ſervaverint, vel inde colliges quod Conſtantius anno Chr. 360 adverſus Perſas *auxilia Scytharum* (ſic Gothos heic loci appellat Ammianus XX. cap. 8.) *poſcebat mercede vel gratia*, quam ipſius prudentiam vehementer laudat *Libanius* Panegyrico. Julianus Imperator Gothis quantum tribuerit idem *Ammianus* docet lib. XXIII. cap. 2. *cum legationes gentium plurimarum auxilia pollicentium liberaliter ſuſceptæ remittebantur, ſpecioſa fiducia*

ducia Principe reſpondente, nequaquam decere adventitiis adjumentis rem vindicari Romanam, cujus opibus foveri conveniret amicos & ſocios, ſi auxilium eos adegerit neceſſitas implorare -- attamen iterum contra Perſas moturus anno 363, *cum exercitu, & Scytharum auxiliis Euphratem tranſmiſit.* Nec dubium, *Gothos* intelligi. Zoſimus III. p. 726, φεύγουσιν ἐπεδραμόντες Ρωμαῖοί τε, καὶ σὺν τούτοις οἱ Γότθοι, πολλοὺς μὲν ἀπώλεσαν, χρυσίου δὲ πολλοῦ καὶ ἀργύρου μεγάλου ἐγκρατεῖς, *fugientes* (Perſas) *inſequuti Romani, & cum eis Gothi, multos deleverunt, & auri argentique magna potiti ſunt copid.*

§. 3. Extincta familiâ Conſtantiniana varia cum Valentiniano ac Valente prœlia fuerunt. Leviora primum anno 364, quo *Thracias diripiebant prædatorii globi Gothorum* dicente *Ammiano* XXVI. cap. 4. Hinc anno 367, cum Valens, cui in diviſione provinciarum imperii Thracia ceſſerat, *ut conſulto placuerat fratri Valentiniano, cujus regebatur imperio, arma concuſſit in Gothos*, Ammianus XXVII. cap. 4. quòd auxilia, ceu prædiximus, miſerant Procopio rebelli. Sed hæ etiam inimicitiæ compoſitæ anno 370, fœdere inito cum Athanarico, partis Gothorum, qui Greuthungi dicebantur, judice, ſic enim ſe vocari maluit quam regem, ὡς ἐκεῖνο μὲν σοφίας πρόσρημα, τὸ δὲ δυνάμεως, *illa ſapientiæ, hæc vero potentiæ appellatio eſſet*, ut ait *Themiſtius* Oratione ad Valentem. Et hæ quidem in Gothos expeditiones promeruere Valentiniano ac Valenti titulum GOTHICI MAXIMI.

§. 4. Tandem contentiones inter Oſtro-Gothos & Veſtro-Gothos ortæ, ac ſtatus laudati regis Hermanrichi, jam ſenis capularis (annum enim agebat centeſimum decimum, quo etiam mortuus eſt, anno 375,) alliciebant regem Hunnorum Balamir, ſive ut meliores codd. MSS. *Balamber, ut Alanis adjunctis, ejus quoque late patentes & uberes pagos repentino impetu perrumperent*, vide *Ammianum* XXXI. cap. 3. *Jornandem* cap. 24. *Zoſimum* IV. p. 747. Sylb. *Poſt Hermanrichi obitum rex Vithimiris creatus reſtitit aliquantiſper Alanis, Hunnis aliis fretus, quos mercede ſociaverat partibus ſuis. Verum poſt multas quas pertulit clades, animam effudit in prælio, vi ſuperatus armorum*, Ammianus iterum. Alatheus & Saphrax, qui ſuſceperant curam filioli Vithimiris, nomine Viderich, *abjecerunt fiduciam repugnandi, cautius diſcedentes ad amnem Danaſtrum* (ſic legendum non *Danaſtum*, hodieque enim *Dniſter* dicitur.) ibidem. Hoc autem tranſmiſſo appropinquarunt Danubii marginibus, *& propere miſſis legatis obſecrabant Valentem vellet ſe quoque ſimili humanitate ac ceteros Gothos*, de quibus mox dicemus, *ſuſcipere.* id autem eis denegatum. Sic fugientibus Gothis Viderichi *Athanaricus*, cujus ſupra mentio facta, *ſtare gradu fixo tentabat, ſurrecturus in vires, ſi ipſe quoque laceſſeretur*, verba ſunt *Ammiani* ibidem & cap. 4. Sed poſtquam Hunni Danaſtrum quoque trajecerant, *eum ſtupentem ad impetum primum, amiſſis quibuſdam ſuorum coëgerunt ad effugia properare montium præruptorum. Qua rei novi-*

tate majoreque venturi pavore conſtrictus, à ſuperciliis Geraſi (nunc *Pruth*) *fluminis aduſque Danubium, Taifalorum terras præſtringens, muros altius erigebat. Hac lorica diligentia celeri conſummata, in tuto locandam ſecuritatem ſuam exiſtimans & ſalutem.* Athanaricum ſic latebras quærentem *deſeruit pars magna populi Gothorum, qui ducibus Fritigerno & Alavivo ripas occupavere Danubii, miſſiſque oratoribus ad Valentem, ſuſcipi ſe humili prece poſcebant, & quiete victuros ſe pollicentes, & daturos, ſi res flagitaſſet, auxilia,* Ammianus cap. 4. & *Zoſimus. Jornandes* cap. 25 addit, *ut fides uberior illis haberetur, promiſiſſe, ſe, ſi doctores linguæ ſuæ donaverit, fieri Chriſtianos.* Merito à viris maturioris judicii dubitabatur utrum è publica re eſſet, tantam multitudinem gentis peregrinæ & bello inde à pueritia adſuetæ excipi gremio imperii Romani, ſed vicere *adulatores in majus fortunam principis extollentes, quod ex ultimis terris tot tirocinia trahens, ei nec opinanti offerret, ut collatis in unum ſuis & alienigenis viribus invictum haberet exercitum, & pro militari ſupplemento, quod provinciatim annuum pendebatur, theſauris accederet auri cumulus magnus. --- Proinde permiſſu Imperatoris tranſeundi Danubium copiam, colendique adepti Thraciæ partes, transfretabantur in dies & noctes, navibus ratibuſque & cavatis arborum alveis agminatim impoſiti.* Ammianus. Diximus modo excidiſſe Gothos Viderichi ſpe ſua tranſmittendi Danubium, *Athanaricus paria pertimeſcens, & veterem cum Valente ſimultatem veritus ut adhuc duraturam, ad Caucalandenſem locum, altitudine ſylvarum inacceſſum & montium, cum ſuis omnibus declinavit, Sarmatis inde extruſis,* Ammianus libri ſæpius citati, cap. 4. fine.

§. 5. Annus erat 376, (*a*) cum ita Veſtro-Gothi *Danubium tranſmeantes Daciam Ripenſem, Mœſiam Thraciaſque permiſſu Principis* (Valentis) *inſedere,* Jornandes cap. 25. *quibus & alimenta pro tempore, & ſubigendos agros tribui ſtatuerat Imperator,* Ammianus; verum illos halcyonia ſibi jam promittentes difficilis iterum tempeſtas turbavit culpa & avaritia ducum Romanorum. Eodem hiſtorico Romano fatente *cùm traducti Barbari victus inopia vexarentur, turpe commercium duces inviſiſſimi Lupicinus & Maximus, alter per Thracias comes, dux alter exitioſus cogitarunt, & quantos undique inſatiabilitas colligere potuit canes, pro ſingulis dederunt mancipiis, inter quæ & filii ducti ſunt optimatum.* Adde *Jornandem* cap. 26. Hæc calamitas adeo exaſperabat animos recentium advenarum, ut ad tranſ-Danubiana fuiſſent regreſſi, niſi Lupicinus & Maximus, quos lucroſæ nundinationis ſatietas non dum ceperat, etiam in interiora Thraciæ abegiſſent. Hoc intelligentes Alatheus & Saphrax, quibus antea, ceu diximus, venia tranſ-

(*a*) De anno, quo Gothi Danubium tranſierint vide *Noris* Hiſt. Pelagianam p. 8. ſed ut mihi videtur confuſe.

eundi

eundi negata, ipſi ſibi eandem dabant. *Id*, ait *Ammianus* lib. dicto cap. 5. *tempus opportunum nacti Greuthungi* (hi ſunt Veſtro-Gothi illi Viderici regis juvenis) *cùm alibi militibus occupatis, navigia ultro citroque diſcurrere ſolita tranſgreſſum eorum prohibentia quieſcere proſpexiſſent, ratibus tranſiere male contextis, caſtraque à Fritigerno locavere longiſſime. At ille genuina prævidendi ſollertia venturos muniens caſus, ut & imperiis obediret, & regibus validis jungeretur, incedens ſegnius, Marcianopolim tarde pervenit itineribus lentis.* Heic nova iterum diſcordia inter Romanos Gothoſque, ex eo quod Gothi vetarentur comparare neceſſaria victui. Ventum primo à verbis ad verbera, hinc ad juſtum prœlium, ubi Lupicinus victus, qui Fritigerno & Alavivo ad convivium invitatis inſidias ſtruxerat. Sic *hoſtes armis induti Romanis, nullo vetante per varia graſſabantur*, quibus ſe paullo poſt junxere ſocii, longe antea ſuſcepti, & circa Hadrianopolim locati, quin & dudum à mercatoribus venumdati, vel caſibus aliis per Thraciam Mœſiamque ſparſi. In oriente erat Valens dum hæc agebantur, ἑωτὸν πολεμήσας ὑπὸ μεταγνώσεως τῆς ὑποδιχῆς ceu ait *Eunapius* Excerptis Legationum p. 21, quod optime vertit *Cantoclarus: Gothos* (*Scythas* vocat) *ſuſceperat & ſuſcepiſſe pœnitebat.* Verum, ut modo dicebamus, ipſi Romanorum duces cauſſa malorum erant, & ſi Imperator interrogaſſet cur rebellarent, potuiſſent idem reſpondere quod olim Bato, Dalmata, Tiberio: *vos ipſi in culpa eſtis, qui ad veſtros greges cuſtodiendos non canes paſtoreſve, ſed lupos mittitis.* Dio Caſſius lib. LV. fine.

§. 6. Antiochiâ itaque egreſſus Valens Conſtantinopolim venit Maio menſe exeunte anni 378, ubi paucis diebus moratus interiora Thraciæ petiit, & poſt duos admodum menſes prope Hadrianopolim *procaci quodam calore perculſus* ut ait *Ammianus* lib. cit. cap. 12, *Gothis occurrere feſtinabat*, non expectato Gratiano imperii ſocio, qui id per litteras expetierat, & prudentiores ducum ſuaſerant. Nona erat dies menſis Auguſti, quæ & exercitui Romano & Valenti fatalis, illa enim *inter gregarios Imperator, ut opinari dabatur* (*neque enim vidiſſe ſe quiſquam vel præſto fuiſſe adſeveravit*) *ſagitta pernicioſe ſaucius ruit, ſpirituque mox conſumto deceſſit, nec poſtea repertus eſt uſquam*, Ammianus cap. 13. qui nec tacet aliorum relationem: Valentem in agreſti caſa igne conſumtum eſſe, quod item *Chryſoſtomus* confirmat ad Viduam Juniorem, T. 1. p. 345. & *Jornandes* cap. 26. ſubjungens etiam: *hoc tempore Veſtro-Gothi Thracias Daciamque Ripenſem, poſt tanti gloriam tropæi, tanquam ſolo genitali potiti, cœperunt incolere*, quibus prorſus conſona iterum *Chryſoſtomus* Tractatu citato, p. 344. ὁ μηδέποτε γέγονε συνὲς τῶν κτλ. *Quod antea nunquam, nunc evenit, ut Barbari propriam relinquentes regionem, multa ſtadiorum millia regionis noſtræ percurrerint, & agris incenſis, captiſque urbibus domum redeundi omnem cogitationem abjecerint. Ac perinde quaſi choreas ducerent, non bellum gererent, ita noſtros omnes irrident, & quendam ex*

illorum

illorum regibus dixiſſe ferunt, mirari ſe impudentiam noſtrorum militum, qui cum facilius quam oves ſoleant jugulari, adhuc victoriam ſperent, neque ex ſua regione velint excedere. Nam ipſe quidem, dixit, ſeſe illis cædendis ſatietate ſæpe captum eſſe.

§. 7. Indicavimus cap. IV. §. 9. primordia ſacratiſſimæ religionis apud Gothos ſeculi III. medio. & cap. V. §. 4. valida ſub Conſtantino Magno incrementa, adeo ut Niceno concilio ſubſcripſerit Theophilus epiſcopus. Hoc intervallo tranſlatione ſacri codicis in linguam Gothicam immortaliter de ſuis meruit Ulphilas noſter. Epiſcopus fuit Gothorum in Mœſia: *Erant*, ſcribit *Jornandes* cap. 51. *& alii Gothi* (dixerat cap. ſuperiori de Oſtro-Gothis, qui excuſſo jugo Hunnico Pannoniam Inferiorem, i. e. Hungariæ partem, accepere inhabitandam) *qui dicuntur Minores, populus immenſus, cum ſuo Pontifice, ipſoque Primate Uulfila, qui eis dicitur & litteras inſtituiſſe, hodieque ſunt in Mœſia, regionem incolentes Nicopolitanam, ad pedes Hæmi montis. Gens multa ſed pauper & imbellis* &c. Sic enim legendum pridem conjeci, & ſuſpiciones meas auctoritate codicum Palatini ac Ambroſiani confirmari lætor. Peſſime editio Amſtelod. cum Prolegomenis H. Grotii: *Qui eis dicitur & litteris inſtituiſſe, hodieque ſunt in Mœſia regione incolentes Eucopolitanam. Ad pedes enim montis gens multa ſedit pauper & imbellis.* De verſione illa Gothica & characteribus Ulphilanis dicemus infra, nunc ſolùm meminerimus illorum Socratis (vide ſupra cap. 5. §. 4.) initio orthodoxum fuiſſe, hinc epidemico malo Arianiſmi laboraſſe. *Sozomenus* lib. VI. cap. 36. refert, ab Eudoxio & Acacio circumventum cum nomine Gothorum apud Conſtantium Imperatorem Legati munere fungeretur pro impetranda amicitia & libero tranſitu in Thraciam, eamque obtinuiſſe mutua ſtipulatione de amplectendis dogmatibus quæ Conſtantio placebant Arianis, ſed ſeriem annorum non exacte obſervat Sozomenus, ad poſtrema enim tempora Valentis hæc pertinent, majoremque heic fidem tribuo Ammiano, hiſtorico coævo, dicenti lib. XXXI. cap. 12. *Dum neceſſaria parabantur* (anno Chr. nati 378) *ad decernendum, Chriſtiani ritus preſbyter, ut ipſi appellant, miſſus à Fritigerno legatus cum aliis humilibus venit ad principis caſtra, ſuſceptuſque leniter, ejuſdemque ductoris obtulit ſcripta, petentis propalam ut ſibi ſuiſque, quos extorres patriis laribus rapidi ferarum gentium exegere diſcurſus, habitanda Thracia ſola cum pecore omni concederetur & frugibus: hoc impetrato, ſpondentis perpetuam pacem*, vide cetera. Nec te moveat, quod nulla heic mentio diverſitatis ſectarum, eas enim parum curavit ſcriptor ethnicus, nec utrum presbyter an epiſcopus fuerit legatus, ſufficiebat ei ſacerdotem fuiſſe. Interim credendum Socrati, Ulphilam aliquando Arianis faviſſe.

§. 8. Ejus etiam auctoritate multos civium permotos, Arianos fuiſſe non negaverim, catholicam tamen doctrinam alii conſtanter profitebantur, ceu vel inde mani-

manifeſtum, quod pietatem eorum laudent patres eccleſiæ ὀρθοδόξοτατοι. *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi XI. fine, Πέρσαι καὶ Γότθοι, καὶ πάντες οἱ ἐξ ἐθνῶν μαρτυροῦσιν, ὑπεραποθνήσκοντες τούτῳ, ὃν σαρκὸς ὀφθαλμοῖς οὐκ εἰδεώρησαν, *Perſæ & Gothi, & omnes gentes teſtantur* (Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei) *morientes pro illo, quem corporeis oculis non viderunt.* ſcripſit Cyrillus Catecheſes ſuas anno 352. Audæi à Conſtantio (*a*) ad Gothos relegati ſollicitam de converſione eorum curam laudat *Epiphanius*, Hæreſi LXX, teſtaturque, illum ſolitariam ac monaſticam vitam eis commendaſſe, quin & poſt mortem Audæi, Uranium & Silvanum quoſdam ex Gothia conſtituiſſe epiſcopos. Crimen hæreſeos Audæo objectum, vereor ne adeo grave fuerit, quin potius ab infeſtis fratribus impactum; erant enim in erroribus fidei ſibi invicem objiciendis liberaliores. ſcripſit Epiphanius Panarium ſuum anno 374. Prædicat quoque conſtantiam eorum *Iſidorus Hiſpalenſis* Chronico Gothorum ad æram CCCCXVI. i. e. annum Chriſti N. 377. *Invenerunt autem eo prælio Gothi confeſſores priores Gothos, quos dudum propter fidem à terra ſua expulerant, & voluerunt eos ſibi ad prædæ ſocietatem conjungere. Qui cum non acquieviſſent, aliquanti ſunt interfecti, alii montuoſa loca tenentes, & refugia ſibi qualiacunque conſtruentes, non ſolum perſeveraverunt Chriſtiani catholici, ſed etiam in concordia Romanorum, à quibus dudum excepti fuerant, permanſerunt.* Quod ſcribit de *dudum propter fidem expulſis* intelligendum de perſecutione ab Athanarico mota anno 372, cujus ſic paullo ante meminit: *Athanaricus perſecutione crudeliſſima adverſus fidem commota voluit ſe exercere contra Gothos, qui in gente ſua Chriſtiani habebantur. Ex quibus plurimos, quia idolis immolare non adquieverunt, martyres fecit, reliquos autem multis perſecutionibus adflictos, dum præ multitudine horreret interficere, dedit licentiam, immo magis coëgit de regno ſuo exire, atque in Romanorum migrare provinciam.*

§. 9. Quod de ſucceſſu religionis Chriſtianæ apud Gothos diximus, præcipue ad eos pertinet, qui cis Danubium erant, reſpectu Conſtantinopoleos. Fuiſſe Veſtro-Gothorum qui trans flumen agebant, Athanarici imperio ſubjecti, multos etiam Chriſtianos, exinde evidens quod eos perſequebatur (*b*), Oſtro-Gothi vero, ſub jugo gementes Hunnorum, tenacius adhærebant idololatriæ, interim zelus ac amor in conſanguineos non paſſus eſt quin Weſtro-Gothi eos quoque commoverent. *Jornandes* cap. 25. *De cætero tam Oſtro-Gothis quam Gepidis paren-*

(*a*) Confer. Catecheſ. VI. p. 58. —— *Rudb.* Atl. I, 195. *Torf.* p. 148. *Bzovius* Epit. Baronii, *Collberg* Monarchia Sueo-Goth. p. 60. *Floræi* Antiqq. Scanicæ p. 169.

(*b*) Sti Sabæ Gothi, anno 372 martyrio coronati, memoriam ſervant Martyrologia ad diem 12 Aprilis. —— M. S. Nicetas.

tibus ſuis pro affectionis gratia (ſic lege cum cod. Palat. ſicque cap. 28. *quem princeps affectionis gratia dignæ tradidit ſepulturæ*) *evangelizantes, hujus perfidiæ* (Arianæ) *culturam edocentes, omnem ubique linguæ hujus nationem ad culturam hujus ſectæ invitavere.*

CAP. VII.

§. 1. VALENTE mortuo Gratianus amplitudinem terminorum imperii conſiderans & multitudinem hoſtium, anno proxime ſequenti ineunte in ſocietatem regnandi adſcivit Theodoſium, cum illuſtrem de Gothis victoriam reportaverat. Etenim Fritigernus ſucceſſu armorum utendum ratus *ad Theſſaliam prædandam, Epiros & Achaiam digreſſus eſt, Alatheus vero & Saphrax cum reſiduis copiis Pannoniam petierunt*, Jornandes cap. 27. Et hoc quidem tempore Athanaricus, ſive quod ambierit amicitiam Romanorum, ſive exoratus, opem illis tulit adverſus Fritigernum, trajecitque Danubium anno 379, quo poſt inſignem de ſuis quondam Gothis victoriam, cujus meminit *Idacius* ad conſulatum Auſonii & Olybrii, Gratianus, Theodoſio gravi morbo decumbente, *gratiâ eos muneribuſque victurus, pacemque victualia illis concedens, cum illis inito fœdere, fecit.* verba ſunt *Jornandis* loco citato, qui addit: *ubi vero poſt hæc Theodoſius convaluit Imperator, reperitque Gratianum cum Gothis & Romanis pepegiſſe, quod ipſe optaverat, admodum grato animo ferens, & ipſe hac parte conſenſit.* (ſic lego cum Palat. & Ambroſiano.) Merito ait Theodoſium *conſenſiſſe*, ejus enim imperio regebatur oriens, Mœſia Thraciaque. Hunc etiam Athanaricus poſtmodum Conſtantinopolim ſequutus eſt, ibique anno 381 mortuus. *Gothi autem, proprio rege defuncto, aſpicientes benignitatem Theodoſii Imperatoris, inito fœdere, Romano ſe imperio tradiderunt.* Iſidorus æra CCCCXIX. Et ex iis contra Eugenium, qui occiſo Gratiano anno Chr. N. 383 Gallias occupaverat, *pluſquam viginti millia armatorum ſecum duxiſſe Theodoſium, victoriaque de prædicto tyranno potitum, ultionem exegiſſe* docet *Jornandes* cap. 28.

§. 2. Theodoſio mortuo anno 395. *Gothi verentes ne longa pace eorum reſolveretur fortitudo, ordinant ſuper ſe regem Alaricum, cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas, Balthorum ex genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis Baltha, i. e. audax, nomen inter ſuos acceperat. Mox ut ergo antefatus Alaricus creatus eſt rex, cum ſuis deliberans ſuaſit eos ſuo labore quærere regna, quam alienis per otium ſubjacere: & ſumto exercitu, per Pannonias, Stilicone & Aureliano COSS. & per Sirmium dextro latere quaſi viris vacuam intravit Italiam.* Sic *Jornandes* cap. 29. Stilico autem & Aurelianus COSS. erant anno 400. *Iſidorus* ad annum imperii Theodoſiani quartum, i. e. Chr. N. 382, adeoque à morte Athanarici proximum, refert exordia regni Alarici, & hinc illa diverſitas ſupputationis

tationis annorum, quibus regnabat. Sed & *Zoſimus* heic mire turbat tempora. Culpam expeditionis Italicæ in memoratum Stiliconem conjiciunt, ſocerum Honorii, qui animo videndi regiones Arcadii, per quas ducendus erat exercitus, vaſtatas, tandemque ipſos cum Alarico Gothos deletos, primum Ravennæ ſtipulabatur de tradendis pleno jure Galliis & Hiſpaniis, deinde diſcedentes aggrediebatur prope Pollentiam in Alpibus Cottiis.

§. 3. Meminit hujus victoriæ *Prudentius* II. contra Symmachum v. 695.

Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Hiſtro,
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Solvere, maſtrucis proceres veſtire togatos.
Famque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
Et Ligurum vaſtarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Tuſcumque ſolum victo amne premebat.

Et mox: *Dux agminis imperiique*
Chriſtipotens nobis juvenis fuit, & comes ejus
Atque parens Stilicho. Hinc,
Illic, terdenis gens exitiabilis annis
Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famoſis olim ditata rapinis
In cumulos congeſta jacent, mirabere ſeris,
Poſteritas, ſeclis inhumata cadavera late
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.

Patieris, lector, te moneri, hinc conſtare tempus, quo libros hoſce contra Symmachum ſcripſit princeps poëtarum Chriſtianorum, nimirum poſt annum 402, verum ante 409, quo certe aliter canentem induxiſſet Romam, tunc ab Alarico occupatam, & nummis etiam imperium novi regis agnoſcentem. VRBS ROMA, Caput galeatum: *averſâ* D. N. ALARICVS REX, in area. Immo, ſi exactius tempora ſupputemus, annus erit 405, quo item non ſolius libri καθημερινῶν, ſed omnium poëmatum ſuorum Præfationem ſcripſit Prudentius, Salia & Philippo COSS. natus v. 24. i. e. anno 348, & quinquageſimum ſeptimum tunc (405) annum agens v. 1. Et hæc optime conveniunt cum *terdenis annis*, quibus *gens Gothica* (ſive, ut ait, Getica) *exitiabilis* fuerit *Pannoniæ*, i. e. ab anno 375, quo Gothi ſuis ſedibus furore Hunnorum expulſi, partim in Pannoniam aufugerunt, novas ſibi quærentes terras, ſicut diximus cap. 6. §. 4. Atque, ut id adjiciam, eodem hoc anno, nimirum 405. de Bello Getico ſcripſit *Claudianus*.

v. 632. *Domat aſpera victos*
Pauperies, unoque die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amiſimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia ſeclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum
Barbariæ.

Sed hæc in tranſcurſu.

§. 4. De Athanarici in Chriſtianos odio & perſecutione diximus cap. 6. §. 8. ſed converſum eſſe confirmat *Iſidorus: Athanaricus Fritigernum Valentis Imperatoris ſuffragio ſuperans, hujus rei gratia legatos cum muneribus ad eundem Imperatorem mittit, & doctores propter ſuſcipiendam Chriſtianæ fidei regulam poſcit.* Nec ſi in errore gentili manſiſſet, mortuum magnifico funere extuliſſet Theodoſius Imperator religioſiſſimus, *ipſe quoque in exſequiis feretro ejus præiens*, ut ait *Jornandes* cap. 28. Arianos fuiſſe hoſce doctores non inficiabimur, & Gothos eò ſeductos ut populi appellatio in profeſſionis doctrinæ nomen tranſierit, *Gothicuſque* idem eſſet ac Arianus, quin & Conſtantinopoli ſuæ ſectæ epiſcopum habuerint. Non deerant tamen qui catholicam doctrinam profiterentur, ac mira Dei providentia factum eſt quod Johannes Chryſoſtomus anno 398 archiepiſcopus Conſtantinopolitanus conſtitueretur. Repreſſit anno 400 pio ardens zelo Gainam Gothum, vehementer petentem, ut aliqua eccleſiarum intra mœnia urbis regiæ, ſuæ ſectæ concederetur, nec paſſus eſt Arcadium Imperatorem id indulgere, licet Gainas, jam Præfectus militiæ inſtanter poſtularet, & defectionem minaretur niſi obtineret, vide *Sozomenum* lib. VIII. cap. 4. *Theodoretum* lib. V. cap. 32. Neque hac una ratione orthodoxiæ proſpexit, ſed & cum aliquando in eccleſia S. Pauli conveniſſent Gothi, juſſit, ex verſione Gothica prælegi loca quædam S. Scripturæ, & poſtea Gothum presbyterum Gothice concionari. Hinc ipſe facundiſſima homilia & gentiles & Judæos ad æmulationem gentis Barbaræ provocavit ſubmonens, & Abrahamum Barbarum fuiſſe, in medio Barbarorum verſantem, & Magos, qui ex oriente venerunt primi ortum Chriſti annuntiantes, Barbaros fuiſſe. Μὴ τοίνυν αἰχύνῶ ait Homiliâ Conſtantinopoli habita anno 399, quam primus edidit Tom. XII. p. 371. *Montfauconus* τὶς ἡγείσθω τῆς ἐκκλησίας, ὅτι βαρβάρους εἰς μέσον ἀναστῶσαι καὶ εἰπεῖν παρεσκευάσαμεν· τοῦτο γὰρ τῆς ἐκκλησίας κόσμος, τοῦτο κατόρθωμα, τοῦτο τῆς ἐν τῇ πίστει δυνάμεως ἀπόδειξις, *ne ergo quis putet id pudori eſſe eccleſiæ, quod barbaros in medio ſurgere & loqui præceperimus. Hoc enim eccleſiæ ornatus & decor, hæc demonſtratio eſt virtutis quæ in fide ſita eſt*, vide cetera & *Theodoretum* ſcribentem V. cap. 30, quod ſingularem Conſtantinopoli aſſignaverit eccleſiam, Gothos ordinaverit presbyteros, diaconos & lectores, quin & ſæpius

pius eam visitando, illos in sana doctrina instruxerit, usus interprete utriusque linguæ, Græcæ ac Gothicæ perito. Gothos etiam monasticam vitam professos fovit, & epistolâ quæ CLXIII est *Savillii*, CCVII *Montfauconi*, tenerrimum in eos amorem testatur, à patientia, fortitudine, tolerantia, sincero & ardenti amore, animique firma & invicta constantia laudans. Inscripta est τοῖς μοναζουσι Γότθοις τοῖς ἐν τοῖς Προμώτου. Fuerunt etenim etiam alibi, & dudum illis præiviſſe Audæum diximus cap. 6. §. 8 ex Epiphanio, nunc autem respondet τοῖς ἐν τοῖς (puta οἰκήμασι vel simile) Προμώτου, *illis qui in ædibus Promoti versabantur*. Et quid obstat quin credamus, hunc esse Fl. Promotum, qui strenue sub Theodosio Magno militavit, non una vice Præfectus copiarum, Consul item Romanus anno 389 una cum Flavio Timasio, & forsan idem, ad quem extat epistola Libanii, quæ DCCLXXXVI, edit. *Wolfianæ*. Hujus enim in ædibus vel Constantinopoli, vel agro vicino, viris piis & seculo renuntiantibus asylum patuisse didici ex *Demonstratione Chronographica*, (*a*) quam Diatribæ Leonis Allatii de scriptis Simeonum adjecit Franciscus Combefisius. Ait *auctor Demonstrationis* p. 34. Anastasia Juliani Imperatoris conjunx, quam eò quod Christiana esset, aulâ ejecit, ἐν τῷ μοναστηρίῳ τῶν Προμώτου (lege Προμώτου) ἀπεκείρατο *in Promoti monasterio cæsariem posuit*.

§. 5. Neque heic subsistit pietas Chrysostomi, sed etiam Gothorum in Thracia degentium egit curam, quæ episcopum decet. Thracia enim quia pars imperii orientalis, ad archiepiscopatum pertinebat Constantinopolitanum. Hunilam, episcopum Gothiæ constituit. Illo autem mortuo, quamvis exsul de alio mittendo sedulo cogitabat, quod item ab illo expetierat rex Gothorum, cujus nomen silet, sed non potest alius esse quam Alaricus; scripta enim est epistola ad Olympiadem cui hanc notitiam debemus Cucuso, anno 404, & extat T. VII. p. 96 *Savill.* T. III. p. 600 *Montf.* Ἐδιηγοῦντό μοι οἱ μοναζοντες οἱ Μαρσεῖς, οἱ Γότθοι, ἔνθα ἀεὶ ἐκρύπτετο Σαραπίων ὁ ἐπίσκοπος, ὅτι Μωδιάριος ἦλθεν ὁ διάκονος ἀπαγγέλων, ὅτι Οὐνίλας (sic lego, non Οὐνιλας, significat enim, *ab Hunnis liberatus*, & Οὖννοι dicebantur non Οὐνοι) ὁ ἐπίσκοπος ὁ θαυμάσιος ἐκεῖνος, ὃν αὐτὸς ἐχειροτόνησα κ) ἔπεμψα εἰς Γοτθίαν, πολλὰ κ) μεγάλα κατορθώσας ἐκοιμήθη· κ) ἦλθε φέρων γράμματα τὰ ῥηθέντα τῶν Γότθων ἀξιοῦντα πεμφθῶναι αὐτοῖς ἐπίσκοπον. *Narraverunt mihi Marsi ac Gothi monachi, apud quos Sarapion episcopus perpetuo deliteſcebat, Moduarium diaconum veniſſe, illud referentem, admirandum illum episcopum Hunilam, quem non ita pridem ordinavi, atque in Gothiam miſi, multis ac magnis rebus gestis, diem ſuum obiiſſe: ac regis Gothorum litteras attulit, quibus petit ut ad eos episcopus mittatur.*

§. 6. Porro scripsit eodem anno Theodulo diacono (CCVI Montfauc. CXIII Savill.) quod etiam à monachis in ædibus Promoti expetierat, ut diligentissime

(*a*) Confer Cangium de Constantinopoli lib. 4. p. 86.

caveret, ne quæ in eccleſia Gothica turbæ ac tumultus excitarentur, quos omni niſu fovebant Ariani, οἱ βαλόμενοι λυμαίνεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις ταῖς εἰς Γοτθίαν, πολλὴν ποιοῦνται σπουδὴν, παντα χῆ περιτρέχοντες, ἀλλ' ὑμεῖς μὴ διαλίπητε τὰ παρ' ἑαυτῶν εὐσφίγητος, *nullum ceſſant movere lapidem, qui eccleſias Gothiæ labefactare conantur, dum undique diſcurrunt: vos tamen quæ veſtrarum ſunt partium præſtare ne deſinatis.* Laudat quoque Chryſoſtomi de Gothis ad Danubium commorantibus ſollicitudinem Theodoretus V. cap. 31, memorans ſe legiſſe ejus ad Leontium Ancyranum epiſtolam, ſed illa non tulit ætatem. Et hæc quidem facies eccleſiæ Gothicæ uſque ad tempora occupatæ ab Alarico Magno Romæ anno 409. (*a*) Neceſſarium vero putavimus hunc diſcurſum, quò conſtaret non precariam eſſe aſſertionem Gothos in Thracia Mœſiaque habuiſſe S. Scripturam Gothice verſam, & iis præfuiſſe epiſcopos ſuæ gentis, & in his Ulphilam, cujus vitam ac labores nunc breviter trademus.

CAP. VIII.

§. 1. PRIMUM inquirendum venit, qua gente fuerit oriundus. Philoſtorgius hiſt. Eccl. Lib. II. cap. 5. Cappadocem facit; ſed eum, utpote ἀνέρα ψευδόλογον τε καὶ οὐδὲ μυθολογίας ἀπεχόμενον, ut audit Photio, & cenſente Mareſchallo Obſervat. de verſione Gothica p. 387. *auctorem qualiſcunque fidei & ſubleſtæ fidei poſtulandum*, confutat nubes probatiſſimorum Auctorum, uno ore confitentium *Ulphilam* tranſlationis hujus nominatiſſimum Auctorem, gente & ſanguine fuiſſe Gothum. Auctores qui hoc conteſtati ſunt, ut & argumenta quæ idem evincant, longum foret coacervare. In confeſſo eſt, fuiſſe Epiſcopum Gothorum, & quis vel ſuſpicetur, Gothos, tot gentium victores, ſibi præfeciſſe vel admiſiſſe Sacrorum antiſtitem ortu, moribus & lingua à ſemetipſis diſcrepantem? Qui potuiſſet, niſi natalibus Gothus, divinas Scripturas convertiſſe εἰς τὴν οἰκεῖαν φωνὴν, ut Sozomen. hiſt. Eccl. l. VI. c. 36. in idioma *domeſticum*, Gothis familiare, immo *ſuum*, uti ſcribit Gotefrid. Viterb. in Pantheo p. 397? Quin & nomen *Ulphilæ* Gothicam ei adſerit vindicatque originem; nam utut ab hiſtoricis diverſimode ſcribatur, (utpote *Gudilla* vel *Gudila* plerumque Hiſpanis, *Galfila*, *Gulfila*, *Vulfila* &c. aliis, quam diverſitatem à tranſlatoribus ipſa Biblica nomina inveniuntur paſſa;) tamen genuinum ejus nomen fuiſſe *Ulphilas* vel *Ulfilas* ὁμολογουμένως teſtantur ſcriptores Græci, Socrates, Theodoritus, Nicephorus Calliſtus, Sozomenus aliique plures. His & ſuccenturiatur R. Abraham Ariæ Mutinenſis in שלטי הגבורים expreſſe nominans eum אולפילאס. Hoc autem nominis non

(*a*) Falſa itaque epigraphe ſtatuæ Alarici, ut putatur, apud Peringsk. ad Cochlæum p. 262. quæ annum 412 venditat.

alia,

alia, quam Gothicæ linguæ incunabula admittere, extra dubium ponunt non modo nomina propria, hodieque apud nos frequentata *Ulf*, *Olav*; ſed & *Olfilr*, quod prorſus idem nomen eſt, in Runico remotiſſimæ antiquitatis ſaxo ad Vallentunam Uplandiæ noſtræ obvium atque incorruptum.

§. 2. Tempus, quo Ulphilas floruerit & apud Gothos, Mœſiam vicinoſque tractus non ſine bellorum motibus incolentes, epiſcopali infula inclaruerit, in ſuperioribus indigitavimus: ſcilicet poſt ſeculum quartum medium eoque ad finem vergente. Philoſtorgius hiſt. Eccl. Lib. II. c. 5. Conſtantino Magno σύγκρουον ſtatuit, ubi de illo Imperatore ſuſtinuit referre: Οὐλφίλαν (ſic nuncupabat) διὰ πλείστης ἦγε τιμῆς, ὡς κ) πολλάκις ὁ ἡμῶν Μωσῆς λίσειν αὐτὸν. *Urphilam magno honore affecit, ut ſæpe ab eo noſter Moſes vocaretur.* Verum manifeſtum eſt iterum periclitari veritatem Philoſtorgii. nam, ſi ſub Conſtantino M. Epiſcopus Gothorum fuit Ulphilas, neceſſe eſt, eum fuiſſe centenarium aut illo majorem, ſi ſub Decio & poſt eum vixerit, quod adeo certum, ut certiſſimum. Præterea extra controverſiam eſt *Ulphilæ* anteceſſorem in epiſcopali apud Gothos dignitate, Theophilum Nicæno Concilio, cui Imperator Conſtantinus M. etiam aderat, interfuiſſe & ſubſcripſiſſe; utique non tunc Ulphilas, qui Theophilo revera ſucceſſit, atque quinto triceſimo poſt anno, nempe æræ Chriſtianæ 360, alii Nicæno intererat Concilio, ſcilicet Conſtantinopolitano tertio, Decretiſque ejus ſubſcribebat, cujus rei teſtem fidei probatæ ſupra c. v. §. 4. Socratem adduximus. Denique Ulphilam in munere conſtitutum epiſcopali, attigiſſe, ſi non ſuperaſſe, ultima Decii tempora, vel inde meridiana luce clarius evadit, quod, referente Ammiano ſcriptore coævo, anno Chriſti 378. inſtar Legati à Gothis ſuis in caſtra Decii miſſus fuerit ſedem in Thracia eis impetratum, cujus Legationis in ſequentibus meminerimus. Ex hiſce omnibus recte perpenſis conficitur, Epiſcopatum Ulphilæ inter annum ſeculi quarti ſexageſimum & octogeſimum incidiſſe. Illum autem has annorum periodos anticipaſſe aut exceſſiſſe, cui, tacentibus Hiſtoricis, pronum eſt dicere?

§. 3. *Virtutes Ulphilæ* auctores Græci pariter ac Latini multas enumerant & collaudant. In primis pertinacem ejus zelum non tantum in Chriſtiana Gothorum Eccleſia, cujus Epiſcopum agebat, in fide atque orthodoxia gnaviter confirmanda; ſed & in plurimis illis Gothis Chriſto lucrandis, qui Chriſtianis mixti vel vicini ſpiſſis paganiſmi tenebris adhuc circumfundebantur. Cui ſtudio indefeſſam impendit operam non ſine ſucceſſu, nec quoque ſine periculo. De his enim Gothis Sozomenus hiſt. Eccl. Lib. VI. c. 16. ita ſcribit: ὑπὸ διδασκάλῳ αὐτῷ παιδευθέντες οἱ Γότθοι τὰ περὶ εὐσέβειαν, καὶ δι' αὐτὸν μεταχόντες πολιτείας ἡμεροτέρας πάντα ῥᾳδίως αὐτῷ ἐπείθοντο, πεπεισμένοι μηδὲν εἶναι φαῦλον ὃ περὶ αὐτὸν λεγόμενον ἢ πραττόμενον. ἅπαντα γὰρ συντελεῖν εἰς χρήσιμον τοῖς ζηλοῦσιν. ὁ μὲν ἀλλὰ καὶ πλείω δίδαξε πεῖραν τῆς αὐτοῦ ἀρετῆς, μυρίας μὲν ὑπομείνας κινδύνους ὑπὲρ τοῦ δόγματος, ἔτι δὲ εἱρκτήν τε βασιλέως ἐλληνικῶς θρησκευόντων.

Gothi

Gothi ab eo Doctore (Ulphila) *ad verum Dei cultum inſtituti, & per eum ad manſuetiores mores perducti, in omnibus ei facile obediebant, perſuaſi nihil ab eo turpe dici vel fieri; ſed omnia dirigi ad utilitatem eorum, qui zelo pietatis fervebant. Quinetiam maximum virtutis ſuæ dedit ſpecimen, innumera pro Chriſtiana religione tunc ſubeundo pericula, cum adhuc barbari, quos diximus, Gothi profanam Græcorum more coluerunt religionem.* En Epiſcopum pro Chriſtianiſmo apud ſuos confirmando atque ad alios dilatando inſignem zelotem!

§. 4. Eruditionem plane eximiam *Ulphilæ* prædicant Scriptores & res ipſa loquitur. Nam literis in pueritia probe fuiſſe inſtitutum, linguam ſuæ gentis ita didiciſſe, ut defectus nævoſque ejus deprehenderit & ſupplere atque emendare potuerit, Græcique idiomatis, præſertim quo novi Teſtamenti libri ſunt ſcripti, fuiſſe gnariſſimum, procurata ab eo Sacri Codicis in tunc familiarem genti ſuæ, hoc eſt, Gothicæ linguam tranſlatio ἀκριβέστατος evincit. Græcum enim textum tranſferenti ad manus fuiſſe ex Adnotationibus, quas huic editioni adſperſimus, liquido conſtat, ſtrictimque ὡς ἐν συνόψει oſtendimus ſupra c.II. §.2. ſeqq. Quin & Latinam etiam calluiſſe linguam, ſunt qui ex eadem verſione probatum volunt. An didicerit inter transferendum Hebræa conſulere oracula, non auſimus adſerere, licet & ſint, qui hanc illi tribuant prærogativam. Tamen ex dictis claret *Ulphilam* πολύγλωττον fuiſſe, indeque diffuſæ eruditionis nomen laudemque ſibi peperiſſe.

§. 5. MERITA in gentem eccleſiamque ſuam ſpeciatim collata *Ulphilæ* plura fuere & ſingula exſtantiſſima. Nam præterquam quod pio zelo, cujus modo meminimus, laborarit in vera doctrina apud ſuos ſtabilienda & ad alios nondum converſos propaganda, adeoque boni Epiſcopi ſategerit officiis ſatisfacere, conſonis Hiſtoricorum teſtimoniis perhibetur *proprias Gothis dediſſe literas, à ſe inventas.* At heic caute obſervandum, ne ſtatuatur *Ulphilas* primus inveniſſe Runas, antiquiſſimos Gothorum characteres, queis è patria Scandinavia ſecum traductis, procul omni dubio hucuſque inter ſe fuerant uſi; ſed *Ulphilas* moliens, in perneceſſariam Eccleſiæ ſuæ inſtitutionem, ſacræ Scripturæ verſionem, & deprehendens Runas gentis ſuæ non ſufficere per paucitatem ſuam adornandæ tranſlationi, novum perfectumque ex Runis atque tunc temporis in Græcia uſitatis literarum characteribus excogitavit Alphabetum 25 literis conſtans. Has literas Ulphilas ipſe invenit, Gothiſque tradidit, docendo eos, vel ſaltem juventutem apud eos, illas legere, intelligere, ſcribere & uſurpare, præcipue ad ſuam Sacrarum literarum verſionem utiliter legendam atque intelligendam, immo & deinceps ad alios quoſlibet uſus. Quia hac ratione Gothicam gentem reddidit *literatam*, utique tali literarum inventione & traditione, ceu luculentiſſimo beneficio, illam ſibi effecit devinctiſſimam.

§. 6. At

§. 6. At huic addidit aliud beneficium multo præſtantius excellentiuſque *Sacram Scripturam in linguam Gothorum convertendo.* Ut Gothi ſui Chriſtum ac myſteria ſalutis, quæ eouſque per eloquium Epiſcopi ſui auribus perceperant cordibuſque impreſſa tenebant, propriis ipſimet oculis contuerentur, magnæ molis vaſtique laboris opus Ulphilas aggreditur, egregiis, ceu diximus, eruditionis & πολυγλωσσίας ſubſidiis munitus, ſcilicet univerſæ utriuſque Teſtamenti Scripturæ Canonicæ in linguam tunc Gothis uſitatam tranſlationem. Quantumvis enim non niſi exigua verſionis iſtius pars hodie ſuperſit, eaque lacunis non unis laborans; integram tamen olim exſtitiſſe ἀξιόπιστοι ſcriptores multo conſenſu affirmant. Socrates hiſt. Eccl. lib. IV. c. 33. ita καὶ τὰς γραφὰς εἰς τὴν Γότθων μεταβάλων, τὰς βαρβάρους μαθήσεις τῇ θείᾳ λογίᾳ περιεκείρασε. Sozomenus hiſt. Eccl. lib. VI. c. 37. ſimiliter: καὶ εἰς τὴν οἰκείαν φωνὴν μετέφρασε τὰς ἱερὰς βίβλους. Nicephorus hiſt. Eccl. lib. XI. c. 4. dicit: καὶ τὰς θείας γραφὰς μεταφράσας αὐτοῖς παρεδίδωκεν, & Caſſiodorus hiſt. Trip. lib. VIII. c. 13. *& ſcripturas divinas in eam* (Gothicam) *convertit linguam.* aliique longo ordine plurimi. Tot autem teſtibus in eadem re conſentientibus quis fidem derogare ſuſtinebit? Circa Ulphilanam hanc S. Codicis verſionem multa apud auctores occurrunt vehementer diſputata, quæ tamen vel facile conciliantur vel cito evaneſcunt, ſi duo ſaltem certo ſtatuantur. Prius, verſionem factam fuiſſe non aliunde quam ex authentica Græca, Latino tamen interprete, qui ille cunque fuerit, non inconſulto. Vide ſupra c. II. §. 2. ſeqq. Poſterius, verſionem hanc factam non in aliam linguam, quam qua, *Ulphila* vivente atque eos docente, utebantur Gothi, quorum epiſcopus erat; nam præcipuus, ſi non unicus verſionis hujus finis ac ſcopus erat, Eccleſiæ ſuæ plenior informatio & in doctrina ſalutis confirmatio, quem finem profecto non intendiſſet nec obtinuiſſet, ſi Sacrum Codicem in aliam, quam quæ Eccleſiæ tum erat domeſtica & familiaris, vertendo transfudiſſet linguam. Hæc Gothorum iſtorum lingua, in quam dicimus Ulphilanam verſionem fuiſſe factam, ab ejuſdem temporis Theotiſca, ſeu Germaniæ incolis tunc uſitata, non niſi dialecto diſtabat; unde non mirum, in Ulphilana Germaniſmos eſſe frequentes. At inde velle concludere Ulphilanam non eſſe Gothicam, ſed Theotiſcam Interpretationem confutare, adniſi fuimus ſup. c. III. §. 3. ſeqq. Denique addi mereatur, neſciri nunc, qualis fuiſſet ſeculo quarto & ſub Ulphila, Gothorum extra patriam viventium lingua, niſi, quæ habemus, fragmenta Ulphilanæ verſionis nos id docuiſſent; nam non indubia prorſus ſunt quæ referuntur de reliquiis Gothorum, qui ſub Tartarorum Precopentium jugo hodie gemunt, nimirum eis adeo familiarem eſſe priſcam Gothorum, de quibus nunc agimus, linguam, ut Ulphilana verſio ab eis legatur & intelligatur. Sed è diverticulo in viam & à verſione ejuſque lingua ad ipſum tranſlatorem *Ulphilam*, qui quo majus eccleſiæ Gothicæ emolumentum hac verſione

attulerit, magiſque ſaluti animarum credentium ea conſuluerit, eo communiori univerſæ Eccleſiæ gaudio excepta fuit, auctorque ejus *Ulphilas* ob meritum in gentem & eccleſiam, quo majus dari nequivit, maximis ubique & undique elogiis cumulatus.

§. 7. Hinc quoque AUCTORITAS Ulphilæ tanta, quanta uſpiam Epiſcopi ullius. Quantæ apud ſuos auctoritatis fuerit, docuit nos Sozomenus cap. hujus §. 4. πίνπ ῥαδίως αὐτῷ ἐπείθοντο, πεπεισμένοι κτλ. Suffragatur Theodoritus hiſt. Eccl. lib. IV. c. 3. his verbis. ᾧ μάλα ἐπείθοντο, καὶ τὰς ἐκείνης λόγους ἀκινήτους ὑπελάμβανον νόμους. *Quem valde ſequebantur, ejuſque verba quaſi leges immobiles æſtimabant.* Idem de eo Caſſiodorus hiſt. Trip. lib. VIII. c. 16. *Cujus magna erat apud eos auctoritas & irrefragabilis.* Quin, ſi Philoſtorgio credendum, id apud Gothos erat, quod Moſes apud Iſraelitas. En! ut de ſumma Ulphilæ apud ſuos auctoritate teſtimonia adſunt; ſed rerum momenta nec deſunt. Nam duplice apud Imperatorem Decium functus traditur legatione. Priori, cum nomine Regis ſui Fritigerni auxilia contra Oſtro-Gothos petiit & obtinuit. Altera, cum nomine gentis ſuæ humili prece peteret (quam & impetrabat, ſed imperio Romano exitialem) licentiam Gothis in Thraciam transfretandi Danubium. Si, quod credibile eſt, principem egit utriuſque legationis Ulphilas, inde eluceſcit, quanti eloquii, quam probatæ prudentiæ quantæque auctoritatis non modo apud ſuos; ſed & apud Imperatorem atque ejus duces purpuratoſque fuerit.

§. 8. Verum, ut ex re optima ſæpe citoque mali quid cuditur, ita auctoritas ſua *Ulphilæ* anſam præbuit adfricandi nomini ſuo turpem maculam defectionis ab orthodoxia ad diram Arianorum impietatem. Sub priori enim legatione blanditiis Eudoxii Epiſcopi Conſtantinopolitani, pollicitationibus Ducum additiſque minis eo fuit perductus, ut, quo expetitæ ſuppetiæ obtinerentur, ſuum ſuæque gentis tranſitum in Arianiſmum promitteret. Turpe dictu, Epiſcopum conſenſiſſe, Duces autem Gothorum de eodem ſolicitatos, reſpondiſſe, teſte Theodorito hiſt. Eccl. lib. IV. c. 37. ὡς ἀνέξεσθαι τὴν πατρῴαν καταλείψειν διδασκαλίαν. *ſe nullo modo velle avitam doctrinam deſerere.* Dicit quidem de Gothis Theodoritus eodem loco: ὡς παντάπασι τὴν πατρῴαν διδασκαλίαν κατέλιπον. *ab avita doctrina non penitus deſtiterunt.* Verum aliter eveniſſe ex hiſtoria colligitur, nempe virus Arianiſmi ſemel inſtillatum Gothos ea pertinacia retinuiſſe, ut tandem poſt ducentos annos in Synodo Toletana tertia anno Chriſti 589. tunc Hiſpaniarum Domini, illud ejurarint.

§. 9. Quid poſt poſteriorem legationem tranſitumque Gothorum trans Danubium in Thraciam Mœſiamque effecerit Ulphilas, tacent Hiſtorici; ideo tamen dubitet nemo, quin dum vita vireſque ſuppeterent, partibus ampliſſimi ſui muneris ſedulo invigilaverit. Tandem, quia, ut Poeta canit, *omnibus, quicunque*

munere

munere terræ veſcimur, unda mortis eſt enaviganda, vivere deſiit. Obiit autem meritis in gentem eccleſiamque ſuam inſignis, continuis laboribus defeſſus, annorum plenus, &, ſi labem imputatæ defectionis demſeris vel texeris, in tantum laudandus, quantum eruditio, virtus & bene merendi ſtudium debent & poſſunt laudari.

EDITORIS PRÆFATIO.

QUANQUAM contra eos, qui ab Ulphila hanc Interpretationem abjudicant, ſatis ſuperque dictum ſit, tamen à me impetrare non potui, quin ex Donii Inſcriptionibus antiquis à cl. Antonio Franciſco Gorio anno CIↃIↃCCXXXI Florentiæ editis locum quendam huc transferrem, qui apud me pondus habet, &, niſi fallor, æquos Lectores haud obſcure docebit, quis tandem revera fuerit quem quærimus, Interpres.

Locus eſt pagina 496 iſtius Operis, ubi habes Chirographi antiquiſſimi exemplar, ſed, quod dolendum, valde mutili, in papyro ſeu cortice arboris exarati, quod prædictus Donius ex Chartophylacio eccleſiæ Arretinæ depromſit. Hoc, ut in ipſa Chartula dicitur, "continet venditionem quatuor unciarum fundi Ca-"ballariæ, cum portione ædificii, cujus fuit venditor, Gudilebus, emptor vero "Lamudd, viri venerabiles diaconi." Ad calcem Inſtrumenti hæc legas ſubſcripta Gothice Gothiciſque literis, ſed miſere corruptis, ïK ГПΔIΛПБ^{S} ΔKN^{S} ψX ЕKΛБΛПhTΛ БXK . . [lege БXKΛ vel БXKXS] ЕKΛ . . . . ГΛΨΛПKhTΛ ψПЄ ΔKN^{S} ΛΛΛMXΛΛ ЕIΔΨXK ПNKϚΛ N. hПГ . . . . KΛБΛΛΛΛKϚΛ ϚΛh KIΛΛI . . . . ΛNЄ^{S} KΛГ^{S} ΛNΔNϒ$\breve{o}$П [niſi me fallit conjectura, legendum ΛNΔ-UXψП] ϚΛh ПЕMЄΛIΔΛ. quæ ſic verto, "Ego Gudilubus diaconus "hæc vendidi, libellum fecit Fra . . . . Thue diaconus . . . . . quatuor "uncias N. hug . . . . Caballariæ & Killi . . . . aneus . . . . renunciavit "& ſubſcripſit." Si quis autem hoc fragmentum cum ſermone Ulphilano conferre operæ pretium duxerit, neceſſe habebit confiteri id ſcriptum eſſe ipſiſſima lingua, qua uſus eſt Epiſcopus ille celeberrimus. Et unde hæc, niſi à Gotho quodam in Italia degente?

In

In argumentum etiam duci poteſt ipſum Ulphilæ nomen, quod eſt manifeſte diminutivum à ᚢᚾᛚᚠᛋ. Lupus; haud aliter ac ᛗᚨᚷᚾᚨᛚ. Puellus, eſt à ᛗᚨᚷᚾᛋ. Puer, ᛗᚨᚢᛁᛚᛟ. Puella, à ᛗᚨᚢᛁ. & ᛒᚨᚴᚾᛁᛚᛟ. Filiolus, à ᛒᚨᚴᚾ. Filius.

Linguam, qua conſcripta ſunt Evangelia, Theotiſcam eſſe, non Gothicam arguitur, quod Theotiſmis ſive Teutoniſmis abundat. Sed argumentum hoc vitioſo nixum eſt tibicine. Nam ſi quid probat, nimium probat. Pari enim ratione evinci poteſt, eam neque Teutonicam, neque Gothicam, ſed Græcam eſſe, à Græciſmis, quibus multo magis abundat, quoſque unaquæque pagina legenti ſuppeditabit. Hæc nihil prohibent quo minus credam hanc eſſe Gothorum linguam, nec aliter ut ſentiam, faciunt voces illæ Græcæ & Latinæ, quas hic illic verſioni admixtas reperies. Nam ſi conſideremus quamdiu ſub Romanis Imperatoribus Gothi meruerint, & quod per Græciam & Italiam indigenis permixti fuerint, minime mirum erit, ſi & ipſi plurimas voces Græcis & Romanis darent, ac viciſſim ab eis acciperent.

Hanc verſionem ex Græco fonte derivatam fuiſſe multis & validis rationibus ſuperiori Præfatione adſtruitur, quibus addi poteſt religioſa illa particulæ potentialis ἀν tranſlatio. Nam nuſquam non redditur per particulas Gothicas ᚹᚨᚾ aut ᚨᛁᚹᚹᚨᚾ. Quomodo autem hæ illi ubique reſponderent, niſi interpres Græcum codicem præ manibus perpetuo habuiſſet? Adhæc, numerandi ratio, ut ſupra obſervatum, eſt omnino Græca, &, quod præcipue eſt notandum, figura, qua deſignatur numerus nonageſimus, eſt eadem atque eorum Κόππα.

Pro hujus linguæ vetuſtate argumentum illud non eſt contemnendum, quod Katenus affert, hoc eſt, Gothos nullis uti verbis auxiliaribus, ſed per terminationes, Græcorum & Latinorum more, diſtinguere tempora, modos & perſonas. Verba clariſſimi Viri hæc ſunt. "De *verba* zyn door de Terminatien onder-"ſcheyden in de *modi*, *tempora* en *perſonæ* zonder hulpwoorden — De Gotten "ten tyde van *Ulphilas* het *verbum* ᚺᚨᛒᚨᚾ. *hebben*, niet gelyk wy te hulpe "namen om de *præterita* uyt te drukken. Hier uyt blykt de oudheyd van dit "*Gothicum Evangelium*, dewyl de Gotten, toen ze mééſter wierden van Italien "en Spangien al moeten overgegaen geweeſt zyn tot het hulpwoord ᚺᚨᛒᚨᚾ "by het *Præteritum Perf. & Pluſq. Perf.* vermits Italien en Spangien dat ge-"bruyk van hen ontléént hebben, gelyk die van Gallien het van de Franken "hebben geléért: zoo dat dit gebruyk, naer alle ſchyn, al méér dan 1200 "jaeren oud is; en gevolgelyk het *Gothicum Evangelium* nog ouder (*a*)".

(*a*) Vide Gemeenſchap tuſſen de Gottiſche ſpraeke en de Nederduytſche p. 10.

Utrum

Utrum è re ſint, necne ea quæ Tibi proponuntur argumenta, penes Te, Lector benevole, ſit judicium. Hoc loco non debet præteriri quod ex opere Hieronymi Roman, cui titulus Medinæ, mihi ſuggeſſit amicissimus doctiſſimuſque Andreas Norrelius Regiæ Bibliothecæ Upſalenſis Præfectus. Is Auctor cap. III. ubi de republica Septentrionali agit, ſuum de Ulphila ſermonem his verbis concludit, "vi yo en la ciudad de Turin en las aldas de los Alpes une breviario deſte "meſmo Obiſpo con las meſmas leteras o caracteres de aquella gente, y aun "otros libros particulares." Utinam Bibliothecæ pulcherrimæ iſtius civitatis diligenter excuterentur horum librorum cauſa, quorum hic mentio fit. Nam hi inventi non minimum fortaſſe conducerent ad dirimendam eam, quæ de hac re inter doctos tamdiu extitit, controverſiam.

Eximiam Viri incomparabilis præfationem mihi tranſmiſit tanto Patre digniſſimus Filius Carolus Jeſperus Benzelius Regi Sueciæ à Sacris domeſticis, cujus poſtremum caput in Autographo deſideratum Amico illo eruditiſſimo acceptum referas. Sed de his hactenus.

Reliquum eſt, ut quid in his Evangeliis edendis à me præſtitum fuerit, breviter exponam. Gothica fideliter expreſſi, quibus nunc primum adſcribuntur Sectiones Canonibus, quos appellant Euſebianos, haud multum abſimiles. Verſionem in locis pauculis mutavi, non quod illa falſa fuit, ſed quod mihi longius à textu recedere videbatur; notas unam vel alteram omiſi, ut & addidi ſex ſeptem verba ſeu clauſulas, quæ in exemplari tranſcribendo ſine dubio prætermittebantur. Si à Benzelio in re aliqua diſſentio, quod raro admodum accidit, rationes diſſentionis in notis ad imum paginæ ſubjeci, quas ut à Benzelianis diſtinguerentur, uncis ſemper curavi includendas.

Fortaſſe dicet aliquis, idque jure optimo, quomodo auſim ego ſciolus vel mutare, vel omittere, vel aliter interpretari quod Vir ſummus Ericus Benzelius elaboraverat. Abſit, ut cum tanto Viro me comparem, Viro omni Literaturæ genere inſtructiſſimo, & cui in Republica literaria non immerito primæ concedi debent. Arrogantiæ igitur foret, latum quidem unguem ab exemplo diſceſſiſſe, niſi liberam hanc mihi poteſtatem ipſe detuliſſet, qui in literis ad me datis Stockholmiæ hæc ſcribit, "De beneficio, ſic enim recte vocaverim, quod mihi præſti-"tiſti in conferenda verſione mea Latina cum contextu Græco, Tibi, vir eruditiſſime, valde obſtrictus ſum & obligatus. His animadverſionibus & quibuſcun-"que aliis à Tua manu, lubentiſſime adquieſco, & plenum jus in verſionem & "notata mea tribuo." Hæc, inquam, ſcripſit Præſul ὁ μακαρίτης, quæ quidem ea de cauſa proferre eſt viſum, ne arrogantiæ notam ſuſtinerem; quod crimen, Lector candide, à me quam longiſſime abeſſe volo.

In ſubſidium vocavi linguam Anglo-Saxonicam, cujus amico auxilio ſæpenumero vera vocum quarundam raro occurrentium ſignificatio erui poteſt, quam in ceteris linguis cognatis fruſtra quæſiveris. Exempla plurima habes tam in noſtris his notis, quam in Gloſſario Gothico à Franciſco Junio linguarum Septentrionalium inſtauratore principe & indefeſſo ἐργοδιώκτῃ edito.

Anglica, quæ cum Suecicis atque Gothicis conveniunt, appoſui, ut tum noſtrates tum Sueci videant quam manifeſta veſtigia, imo vero quam magna pars, majorum noſtrorum linguæ ad hunc uſque diem ſuperſit. Si Suecica non adeo recte interdum ſint impreſſi, id mihi facile condonabitur, cum, propter defectum literarum quarundam illi Genti pereruditæ peculiarium, fieri non potuit, ut ea aliter exhiberem.

Dedi Grammaticam, quam confeci ad eundem plane modum cum illa Anglo-Saxonica, quam Franciſci Junii Etymologico Anglicano præmiſi. Mihi quidem, etiamſi Hickeſii noſtri obſervationibus adjuto, laborioſa hujus libelli confectio fuit. Laborem certe nonnihil minuiſſet Lamberti Kateni Gemeenſchap tuſſen de Gottiſche ſpraeke en de Nederduytſche, ſi in tempore ad manus perveniſſet. Brevis eſt Grammatica, ſed, uti ſpero, non obſcura, nec inutilis, cujus ope Lectori curioſo linguæ Gothicæ penetralia facili negotio licebit aperire.

GRAMMA-

GRAMMATICA GOTHICA.

